diſciſſus interiit. Inſectantes canes par ruina involvit. Equus, A quem Rex ſedebat, ruptis habenis effrænis effectus, obſtinato curſu Regem poſt beſtiam portans ad ultimam ſortem, Regi præceps barathrum petens intentat. Ille trepidat, & anguſtiatur. Occurrit interim animo injuria Dunſtano illata, ingemuit. & ſe quàm citiſſimè illam multiplici commendatione correcturum (ſolummodo imminentem ſibi mortem ejus meritis ad horam avertat Deus) celeri mentis ſponſione Deo promittit. Cujus cordis præparationem auris Dei è veſtigio audiens, illius miſertus eſt. Equus namque illico ſubſtitit, & Regem à periculo montis liberatum valdè gratioſum Deo reddidit. Inde ad hoſpitium Rex reverſus, adunatis Principibus ſuis, rei, quæ acciderat, ordinem pandit, & Dunſtanum cum honore, & reverentia adduci præcepit, Actaque coram eo pœnitentia pro injuriis, quas ei intulerat, veniam ab eo, cum humilitate poſtulat. Qua potitus, fidem ſe amicum viro deinceps omni tempore futurum, nec ulteriùs cujuſpiam maledicis verbis de eo, crediturum pollicitus eſt. *Osbert. in vita Dunſtani Epiſc. cap.* 13. 14. *apud Sur.* 19. *Maii, & Baron. to.* 10. *an.* 941.

B. Franciscus Assisias detractionis vitium inimicum fonti B pietatis, & gratiæ, tanquam ſerpentinum abhorrebat morſum, & atrociſſimam peſtem, & piiſſimo Deo abominabile fore affirmabat, pro eo quòd detractor animarum ſanguine paſcitur, quos gladio linguæ necat. Audiens aliquando fratrem quendam denigrantem alterius famam, converſus ad Vicariũ ſuum, dixit: Surge, ſurge, diſcute diligenter, & ſi accuſatum fratrem innocentem repereris, accuſantem dura correctione cunctis redde notabilem. Nonnunquam verò eum, qui fratrem ſuum famæ gloria ſpoliaret, judicabat habitu ſpoliandum, nec ad Dominum poſſe oculos levare, niſi priùs, quod abſtulerat, reddere pro poſſe curaret. Tanto major eſt, ajebat, detractorum impietas, quàm latronum; quando lex Chriſti, quæ in obſervantia pietatis impletur, magis animarum, quàm corporum, nos aſtringit optare ſalutem. *D. Bonavent. in vita ejus c.* 8. *§.* 3.

Duo diffamaverant quendam tertium; qui ex diffamatoribus prior obiit, ſtetit per aliquod tempus in purgatorio. Cùm verò inde exivit, credidit ſe ſtatim iturum in paradiſum, at dixit Deus: Non intrabis, quia priùs habes facere reſtitutionem famæ illius. B. Vincentius Hiſpanus ordinis fratrum Prædicatorum ſcit iſtud eſſe verùm, quod anima redierit, quia ipſemet fuit diffamatus, & ab ipſo mortuus veniam petiit. *B. Vincent.* C *ſerm.* 1. *de Domin. in Albis.*

Vidimus, inquit, *Caſſianus l.* 5. *c.* 29. ſenem, Machetem nomine à turbis fratrum eminus commorantem, hanc à Domino gratiam diuturnis precibus impetraſſe, ut quotquot diebus, ac noctibus agitaretur collatio ſpiritalis, nunquam ſomni torpore penitus laxaretur, ſi quis verò detractionis verbum, ſeu otioſum tentaſſet inferre, in ſomnum protinus concidebat, nec uſque ad aurium quidem ejus pollutionem virtus obloquii poterat pervenire.

Thomas Morus primarius Angliæ Cancellarius, ut in omni vita, & actione ſua vir erat maximæ ædificationis, & ſanctimoniæ, dum quis ipſo præſente detractioni laxare linguam incipiebat, ipſe mox arrepta aliunde occaſione virulentum illum ſermonem aliò divertebat, meliore ſubintroducto, aut ſaltem non malo. Exempli gratia, inquiebat: Dicat quiſque, quod volet, ego dico domum illam pulcherrimè exſtructam; eumque qui fecit excellentem eſſe in ſua arte magiſtrum, atq; architectum. Hoc modo ſuaviter ei malo remedium adhiberi poteſt. Vel dicat, quod Chriſtus accuſatoribus adulteræ; *Qui* D *ſine peccato eſt, primus in illam lapidem mittat*, aut illud 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus judicare, & non judicabimini. Thomas Stapletonus in vita ejus.*

Felix Portuenſis Epiſcopus Sabinienſi Provincia ortus ſanctimonialem quandam eodem in loco fuiſſe teſtatur, quæ carnis continentiam quidem habuit, ſed linguæ procacitatem, atque ſtultiloquium non declinavit. Hæc igitur defuncta, in ecclesia ſepulta eſt. Eadem verò nocte cuſtos eccleſiæ per revelationem vidit, quod deducta ante ſacrum altare per medium ſecabatur: & pars una illius igne cremabatur, & altera intacta remanebat. Cùmque hoc ſurgens manè fratribus narraſſet, & locum oſtenderet, in quo fuerat igne conſumpta, ipſa flammæ combuſtio ita ante altare in marmoribus apparuit, ac ſi illic eadem fœmina igne corporeo fuiſſet concremata. Qua ex re apertè datur intelligi, quia hi, quibus peccata dimiſſa non fuerint ad evitandum judicium, ſacris locis poſt mortem non valeant adjuvari, & quàm periculoſum ſit crimen detractionis. *Greg. l.* 4. *Dialog. c.* 15.

☞ *Referantur huc exempla S. Scripturæ, ex Titulo de Maledicis, & Maledicentia.*

* Devotio.

Definitio, & Etymologia. E

DEvotio, Græcè θρησκεία, dicitur, & definitur Devotio actus virtutis Religionis, quo voluntas promptam ſe, paratamque demonſtrat ad quodvis divini cultus exercitium, ſive internum, ſive externum Deo exhibendum: Sive brevius, Devotio eſt voluntas promptè tradendi ſe ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 53. *a.* 1.

Devotionis Præmia, Et Exempla è S. Scriptura.

S. Ambrosius (*l.* 1. *de Cain, & Abel, c.* 1.) promptitudinem devotionis declarat exemplo Abraham Patriarchæ: Abraham filium ſuum ad holocauſtum juſſus offerre, non poſt dies, ut Cain, obtulit, ſed exurgens manè ſtatuit aſinam, &c. Et cucurrit, & accepit vitulum unum tenerum, & bonum, & dedit puero, & feſtinavit facere eum, ubique impigra devotio, & ideò fuit munus ejus acceptum. *Gen.* 22. 1. 9. Mox ſubiicit exemplum F devoti Zachæi: Feſtinans deſcendit, & accepit illum (Chriſtum) gaudens, & ideò probavit Dominus ejus affectum, & cum celeri remuneratione donavit, dicens, quia hodie ſalus domui huic facta eſt, feſtinavit enim & dominus ad beneficium, & ideò non expectavit, ut promitteret, & impleret omnia, ſed ante fecit, poſteà declamavit. Dixit enim facta eſt ſalus, quod utique prævenienti ſervit, non promittenti.

Idem *l.* 1. *de Abraham c.* 2. recenſet geminum fructum deditionis, vel promptæ voluntatis obſequendi Deo in omnibus. Primus eſt, quòd hominem efficiat contemptorem rerum terrenarum, & amatorem cæleſtium: alter, quòd in omnibus periculis hominem reddat Deo providente ſecurum, nam quia Abraham cum conjuge, licet ſpecioſa, Ægyptii regis evaſit inſidias, ita ſubdit: Is qui Deum ſequitur, tutus ſemper eſt, Et ideò Deum debemus præferre omnibus, nec patriæ contuitu, nec parentum, filiorumque gratia, nec uxoris contemplatione revocari debemus ab executione preceptorum cæleſtium, quia Deus nobis omnia illa largitur, & potens eſt ſervare, quæ donat; itaque magnum exemplum devotionis Abrahæ, quòd cum uxore ſpecioſa deſcendit in Ægyptum. Erat quidem juſto viro cura conjugalis pudicitiæ, ſed majus erat ſtudium maturandæ G devotionis, ne prætuliſſe cuſtodiam thori mandatis videretur cæleſtibus, itaque quoniam propter Deum contempſit omnia, recepit à Deo multiplicata omnia: ſed primam Deus pudicitiæ tribuit remunerationem, quam gratam ſciebat conjugi. Nam quia ſtudio obeundi cæleſtis oraculi uxorem quoque in periculum deduxit pudoris, etiam caſtimoniam conjugii defendit, &c.

Devotus Rex David: Renuit, ait, conſolari anima mea (conſolatione terrena) memor fui Dei, & delectatus ſum (conſolatione cæleſti) & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus (hoc eſt, tanta voluptate ſpiritus perfuſus ſum, ut non potuerim diutius tolerare.) S. Bernardus (in declamat. de verbis Petri: Ecce nos reliquimus omnia) contendit centuplum in hac vita Apoſtolis promiſſum, eſſe gratiam devotionis, & incredibile quoddam gaudium ſpiritus.

Inter alias veteris tabernaculi ſacras fabricas, dicit Scriptura *Exodi c.* 38. *v.* 8. quod Moyſes fecerit labrum æreum, cum baſi ſua, de ſpeculis mulierum, quæ excubant in oſtio tabernaculi. Ex quo matronarum priſca devotio, & ritus, quo ornamenta ſua, quæ vanitati priùs ſervierant, Deo dedicabant, ejuſque H Miniſterio conſecrabant, clarè elicitur.

Magdalena, quæ priùs in Civitate peccatrix, in Chriſti obſequium capillos capitis ſui, quorum pulchritudine, & cincinnis priùs mundo, & vanitati deſervierat, & adoleſcentum in ſe oculos provocaverat, impendit, dum pedes illius, quos priùs lacrymis rigaverat, iiſdem abſterſit: os etiam quo non ſemel libidinoſa oſcula exceperat, iiſdem admovit. Velut ad literam in ſe adimplens, quod habet ſermo Apoſtolicus, ſicut membra ſua dederat ſervire iniquitati ad iniquitatem: ita mox eadem præberet ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.

Exempla Historica.

Neque deſunt poſterioribus ſæculis ſimilia devotæ pietatis exempla, pauca, quæ menti occurrent, ſubiiciemus. Sophia Socrus, & Conſtantina uxor Mauritii Imper. coronam ſuam in Eccleſia Deo obtulerunt.

S. Ludgar-

S. Ludgardis matrona ſanctiſſima juxta, & caſtiſſima, A præter patrimonium, totum etiam mundum muliebrem, quem in divite copia poſſidebat, eccleſiæ contulit, ut divinus cultus inde promoveretur.

Pulcheria Arcadii filia, è patrimonro ſuo deiparæ virg. illuſtre templum ædificavit, & tam ſe, quàm veſtes ſumptuoſiſſimas, & monilia gemmata eidem Virgini devovit. *Cedren.*

De Paula Romana ſcribit S. Hieronymus *in ejus Epitaphio*, eam ubi ſe primum Deo dedicaſſet, ornamenta ſua omnia, mundumque muliebrem in ſacram ſupellectilem commutaſſe. Idem fecit Eliſabeth filia Andreæ Regis Hungariæ Lantgravii Thuriungiæ uxor, pauperum & mater, & ancilla, ut videre eſt in ejus vita.

Reliquis Heroinis addi meritò poteſt, Iſabella, Clara, Eugenia Brabantiæ Duciſſa, Alberti I. cognomento Pii, heri nuper defuncti uxor, quæ ſumpta à ſua ſtirpe pietate, pleraque ornamenta ſua contulit Virgini Deiparæ, ejuſque Ædi in Aſpricolle, quam maritus, ejus impulſu ante paucos annos ædificari juſſit, & paucis ante mortem hebdomadibus religioſè viſitavit. Atque inter alia veſtem pretioſam auro, ac margaritis intertex- B tam manu ſua adornavit, qua diebus ſolemnibus imago ibidem miraculis clara, ut quæ Deus per filii ſui matrem ibidem indies operatur circuminduitur, verè eo elogio digna heroina, quod ei parem religione, & devotione Belgium, ſuperiorem Auſtriaca ſtirps habuerit.

Alterius etiam ordinis exempla ad manum ſunt. S. Remigius Epiſcopus Rhemenſis, cui Chriſti fidem Gallia debet, ſupremis Tabulis voluntatis ſuæ poſthumæ hanc teſtificationem inſcripſit. Quando ego Remigius, Epiſcopus de hac luce tranſiero, tu mihi hæres eſto ſancta, & venerabilis Eccleſia Catholica urbis Rhemorum, ac poſtmodum ad vaſa argentea in particulari Eccleſiæ Laudunenſi, ac aliis, ad uſum calicum, & ſacroſancta miniſteria attributorum meminit *Hincmarus in vita.*

S. Wilibrordus, quem Hollandia, & Brabantia Apoſtolum ſuum agnoſcat, etiam teſtamento ſuo certos fundos ſibi datos propè Antuerpiam, Eccleſiæ conceſſit. Extant tabulæ teſtam. *in ejus vita, & in deſcrip. Antuer. C. Scribani.*

Carolus V. Cæſar ſacrum hunc ordinem interrumpat, qui chlamydem militari forma villoſo ſerico, & auro intertextam, donavit Divæ Virgini Hallenſi, quaſi victorias ſuas virgini virginum, & militiam conſectans, aut referens acceptas. *Lipſ.* C *in virg. Hallenſi.*

Addamus veteribus virum clariſſimum Juſtum Lipſium, qui mortalitatis memor, ejuſque lineæ vicinus, tunicam ſuam pellibus ſuffultam, profeſſionis ſuæ, & muneris adminiſtram, gradus quoque, & dignitatis quaſi trabeam, D. Virginis in Æde ipſius Lovanii offerri voluit, uſibus, ac neceſſitatibus ſacris, quin & pateram duplicem inauratam templo Patrum Societatis ibidem, ut pro ſe illi orarent, dedicavit. Togam poſtmodùm in amiciſſimi viri memoriam emit Cl. V. Gerardus Corſelius tum Juris Profeſſor celeberrimus, modo Sanctioris Conſilii Senator prudentiſſimus. Pecunia verò aræ D. Virginis adſcripta. *Ex aſſertione Lipſiani Donar. à C. Jo. Voverio deſcripta.* Idem quoque animi ſui cultum erga Deiparam etiam aliàs exhibuit ſuſpenſa ante aram in Æde Hallenſi, quæ miraculis ejuſdem virginis coruſcat, penna argentea, cui hos verſus inſcripſit.

Hanc Diva pennam interpretem mentis meæ,
Per alta ſpatia quæ volavit ętheris,
D *Per ima quæ volavit, & terræ, & maris:*
Scientię, prudentię, ſapientię
Operata ſemper, cauſa quæ conſtantiam
Deſcribere, & vulgare, quæ civilia,
Quæ militaria, atque Policoretica,
Quæ Romam magnitudine adſtruxit tuam;
Variaque luce ſcripta priſci ſęculi
Affecit, & perfudit, Hanc Pennam tibi,
Nunc, Diva, meritò conſecravi Lipſius.
Num numine iſthęc incboata ſunt tuo.
Et numine iſthęc abſoluta ſunt tuo,
Porrò ò benignitatis aura perpetim
Hęc ſpiret! & famę fugacis in vicem
Quam Penna peperit, tu perenne gaudium,
Vitamque, Diva, Lipſio pares tuo.

Quin etiam non ita pridem Antuerpiæ, an. ſcil. 1619. dum Religioſi Societatis Jeſu, auguſtiſſimum ſuum templum, quo nullum ſervata operis proportione in Belgio illuſtrius, inchoarent, ac prima illius fundamenta jacerent, conſecrante ſolemniter primum lapidem ex veteri Eccleſiæ ritu, *Joanne Maldero* Epiſcopo: & fidelium eleemoſynas pro concione poſtulante Laurentio Beyerlinck Archipresbytero; ea fuit populi Antuerpienſis devotio, ut certatim omnes accurrerent, donaria adferrent, & quidem inter ea, annulos, armillas, aliaque or- E namenta, ut velut veteris populi devotio, qua torques, & alia id genus in opus Tabernaculi conferebatur, renata videretur, quam ſane munificentiam, animique erga Domum Dei, & qui eam excitabant Religioſos Societatis, devotionem, & cultum non intermiſerunt in operis progreſſu, quin ad optatum finem, miro ſplendore, & quam Belgæ admirentur magnificentia deductum hoc anno 1611. fuerit.

☞ *Refer pleraque ex Locis de Donariis ſacris, Decimis, Templis, &c.*

* DEVOTIO. DEVOVERE. IMPRECARI.

Ut adjunctam habet imprecationem.

Acceptio Varia.

DEvotio in eo ſenſu communiter apud ſacros, & profanos Auctores uſurpatur, neque ſolùm perſonis, ſed & rebus, quæ devoventur, accommodatur, & in bonam partem accipitur. Sic Chananæi Deo devoti leguntur, *Num.* 21. omneſque ad interneccionem dati. Ita Hiericho, & Paulus optabat F fieri anathema pro Judæis.

Hęc autem Devotio nonnunquam ſignificat impium factum, ut mulieris impudicæ, *Proverb.* 7. 14. Judæorum in Apoſtoli vitam crudeliter conſpirantium, *Act.* 23. 12. 14. 21. & nihil ſeipſum ex infirmitare nimia devoventis, affirmantiſque nihil ſibi eſſe negotii cum Chriſto, quem comitatus paulò ante fuerat. Tunc enim cœpit. καταναθεματίζειν, ſeipſum devovere, & jurare, dicens, non novi hominem, *Matth.* 26. 74. Ὁ δὲ inquit, *Marc. c.* 14. *v.* 81. ἤρξατο ἀναθεματίζειν καὶ ὀμνύειν, ipſe autem cępit execrari, infauſta ſibi imprecari, & jurare, dicens non novi hominem iſtum, quem dicitis.

Quid Devovere, Devotio, & devoti fuerint Ethnicis, ex teſtimoniis, & exemplis ſequentibus colligere licet.

Agamemnon, cùm devoviſſet Dianæ, quod in ſuo regno pulcherrimum natum eſſet illo anno, immolavit Iphigeniam filiam. *Cic.* 3. *Offic.*

In hac trepidatione P. Decius conſul, M. Valerium magna voce inclamat: Deorum, inquit, ope, Valeri, opus eſt, Agedum pontifex publicus populi Romani, præi verba, quibus me pro legionibus devoveam. Pontifex eum togam prętextam G ſumere juſſit, & velato capite manu ſubter togam ad mentum exſerto, ſuper telum ſubiectum pedibus ſtantem ſic dicere: Jane, Jupiter, Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, divi Novenſiles, dii indigetes, divi, quorum eſt poteſtas noſtrorum, hoſtiumque, diique Manes, vos precor, veneror, veniam peto, feroque, uti populo Rom. Quiritium vim, victoriamque proſperetis, hoſteſque populi Rom. Quiritium terrore, formidine, morteque afficiatis. Sicut verbis nuncupavi, ita pro Republ. Quiritium exercitu, legionibus, auxiliis populi Rom. Quiritium, legiones auxiliaque hoſtium mecum diis Manibus, Tellurique devoveo. Hæc ita precatus, lictores ire ad T. Manlium jubet, maturèque collegæ ſe devotum pro exercitu nunciare. Ipſe incinctus cinctu Gabino, armatus in equum inſiliit, ac ſe in medios immiſit. Conſpectus ab utraque acie aliquanto auguſtior humano viſu, ſicut cęlo miſſus piaculum omnis deorum iræ, qui peſtem ab ſuis averſam in hoſtes ferret. Ita omnis terror, pavorque, cum illo latus, ſigna primò Latinorum turbavit: deinde in totam penitùs aciem pervaſit. Evidentiſſimum id fuit, quod quacumque equo invectus eſt, ibi haud ſecus, quam peſtifero ſidere icti pavebant: ubi H verò corruit obrutus telis, inde jam haud dubiè conſternatæ cohortes Latinorum fugam, ac vaſtitatem latè fecerunt. Simul & Romani exolutis religione animis, velut tum primùm ſigno dato cohorti, pugnam integram ediderunt. *Livius decad.* 1. *l.* 8. *anno urb. cond.* 425.

Anno urbis conditæ 593. ſeu motu terræ, ſeu qua vi alia forum medium fermè ſpecu vaſto collapſum in immenſam altitudinem dicitur: neque eam voraginem conjectu terræ cùm pro ſe quiſque gereret, expleri potuiſſe priùs, quam Deum monitu quæri cœptum, quæ plurimùm populus Rom. poſſet. Id enim illo loco dicandum vates canebant, ſi Rempubl. Romanam perpetuam eſſe vellent, tum M. Curtium juvenem bello egregium caſtigaſſe ferunt, dubitantes an ullum magis Romanum bonum, quàm arma, virtuſque eſſet. Silentio facto templa deorum immortalium, quæ foro imminent, Capitoliumque intuentem, & manus nunc in cœlum, nunc in parentes

terræ hujus ad Deos Manes porrigentem ſe devoviſſe: equo de- A inde quam poterat maximè exornato inſidentem armatum ſe in ſpecum immiſiſſe: donaque, ac fruges ſuper eum à multitudine virorum, ac mulierum congeſtas, lacumque Curtium non ab antiquo illo T. Tatii milite Curtio Metio, ſed ab hoc appellatum. *Liv. l.7. decad.1. Valer. Max. l.5. c.6. Oroſ. l.3. c.5.*

Decius nulla vi Romanos cedentes, fuſos, fugientes, perculſos ſuſtinere poterat, patrem P. Decium nomine compellans: Quid ultrà moror, inquit, familiare tantùm? Datum hoc noſtro generi eſt, ut luendis periculis publicis piacula ſimus. Jam ego mecum legiones hoſtium mactandas Telluri, ac diis Manibus dabo. Hæc locutus, M. Livium pontificem, quem deſcendens in aciem digredi vetuerat ab ſe, præire juſſit, verba, quibus ſe, legioneſque hoſtium pro exercitu populi A. Quiritium devoveret, devotus inde eadem precatione, eodemque habitu, quo pater P. Decius ad Veſerim bello Latino juſſerat devoveri: cum ſecundùm ſolemnes precationes adjeciſſet: præ ſe agere ſeſe formidinem, ac fugam, cædemque, ac cruorem: cœleſtium, infernorum iras, contacturum funebribus diris ſigna, tela, arma hoſtium, locumque eundem ſuæ peſtis, & Gallorum, ac Sannitum fore: hæc execratus in ſe, hoſteſque, B qua confertiſſimam cernebat Gallorum aciem, concitat equũ: inferenſque ſe ipſe infeſtis telis interfectus eſt. Vix humanæ inde opis videri pugna potuit. Romani duce amiſſo, quæ res terrori aliàs eſſe ſolet, ſiſtere fugam, ac novam de integro velle inſtaurare pugnam. Galli, & maximè globus circumſtans conſulis corpus veluti alienata mente, vana incaſſum jactare tela: torpere quidam, & nec pugnæ meminiſſe, nec fugæ. At ex parte altera Pontifex Livius, cui lictores Decius tradiderat, juſſeratque proprætorem eſſe, vociferari, viciſſe Romanos, defunctos conſulis fata: Gallos, Samniteſque Telluris matris, ac deorum Manium eſſe, rapere ad ſe, ac vocare Decium devotam ſecum aciem; furiarumque, ac formidinis plena omnia hoſtes eſſe, &c. Cæſa eo die hoſtium xxv. millia, octo capta, nec incruenta victoria fuit: nam ex P. Decii exercitu væſa ſeptem millia: ex Fabii mille, ac ducenti. *Paulo infra.* Celebrata (in urbe) conditis carminibus militaribus non magis victoria Q. Fabii, quàm mors præclara P. Decii eſt: excitataque memoria parentis, æquata eventu publico, privatoque filii laudibus. *Livius l.10. decad.1. anno urbis cond.* 458. *Cicero in Catone. Valer. Max. l.5. c.7. ſ.5. & 6.*

C Adcantuanus, qui ſummam imperii tenebat, cum ſexcentis devotis, quos illi Soldurios appellant (quorum hæc conditio, ut omnibus in vita commodis unà cum his fruantur, quorum ſe amicitiæ dediderint: ſi quid eis per vim accidat, aut eundem caſum unà ferant, aut ſibi mortem conſciſcant, neque adhuc hominum memoria repertus eſt quiſquam, qui eo interfecto, cujus ſe amicitiæ devoviſſet, mori recuſaret) eruptionem facere conatus, &c. *Cæſar de bello Gall. l.3.*

Quæ vis Coclitem contra omnes hoſtium copias in ponte tenuit ſolùm? quæ patrem Decium, quæ filium devoravit, ac immiſit in armatas hoſtium copias. *Cicero in Paradox.*

At ſi homines docuit patriæ poſtponere vitam
Vana ſuperſtitio, quanto nos juſtius omnes
Vere Deus, tibi nos, & noſtra ſacrabimus uni?

Hæc vera eſt devotio, quæ ſi ad Chriſtum Eccleſiæ caput, ad Martyres Chriſtianos, aliaque Chriſti membra, juxta fidei analogiam, cœleſtiſque veritatis præſcriptum referatur, innumera devotionis, & verè devotorum præclara, atque innumera ferè exempla proferre poſſit.

D Leonidas, cum ccc. pro patria ſe devovit, & irrupit in caſtra Xerxis, dicens: Prandete commilitones, apud Inferos cœnaturi. Rogatus, cur optimi mortem nobilem obſcuræ vitæ anteponerent, reſpondit: Quia illud proprium naturæ, iſtud ſibi eſſe cenſent. Quare Xerxi promittenti Imperium in omnes Græcos, ſi à partibus ſuis ſtare vellet, reſcripſit: Si bona vitæ cognita haberes, utique alienarum rerum cupiditatem depoſuiſſes, mihi quidem potius eſt mori pro Græcia, quam in omnes Gentiles dominationem obtinere. *Ita Plut. Leonida.*

Trecenti Fabii, duce Fabio Maximo, in caſtra Hannibalis ruerunt, multiſque cæſis corruerunt. Dux ipſe in Hannibalem irruit, diadema detraxit, & cum eo occubuit.

De Codro Athenienſium Rege, vili amictu majeſtatem ſuam celante, gregarii militis habitu, falceque armato in hoſtem irruente, ut morte ſua, juxta oraculi monitum, urbem, & cives ſuos ſervaret, nota eſt hiſtoria.

☞ *Requiratur Locus de Patria, & illius amore. Item de Imprecatione, ubi multa hujus loci.*

* Deus.

Dei Nomina.

E Nominibus variis Deus à Moyſe, Prophetis, & Apoſtolis in Scripturis deſignatur, quorum alia Dei eſſentiam, alia proprietates, ſive attributa denotant. Non quòd Deus indigeat nomine, eſt enim unus, ac ineffabilis, uti Attalus Martyr Dei nomen inquirenti Tyranno reſpondit, apud *Euſeb. lib.6. hiſt. c.3.* & Evagrius Epiſcopus, apud Socratem: Sed ea Dei magna eſt dignatio, quod ad nomen noſtrum, uti & colloquium ſe demiſerit.

Notat autem S. Hieronymus *Epiſt.136. ad Marcellam*, apud Hebræos decem reperiri Dei nomina. Primum El, id eſt, fortis. II. Eloha, quod ſignificat Deum, quatenus gubernantē, providentem, vindicem. III. Elohim, quod eſt plurale nominis Eloha. IV. Sabaoth. id eſt, Deum exercituum, vel copiarum, eſtque magis cognomen Dei, quàm nomen, hinc ſemper alteri nomini conjungitur. V. Elion, excelſus, eſt enim Deus primum Ens, cauſa, & Perfectio rerum omnium. VI. nomen eſt, quod ipſe Moyſi indicavit, *Sum qui Sum* vel, qui eſt, ut patet *Exodi c.3.* quo ſignificavit nullum ſibi nomen proprium eſſe, ſed diſ- F cerni ab aliis nomine generaliſſimo entis, unde S. Bernardus, Deus eſt ſuum ipſius, & omnium aliarum rerum eſſe, & ut Plato dixit, qui rerum omnium univerſitatem complectitur. Eſtque ſtabilis, immutabilis, æternus, ſemper præſens, & juxta Thaletis ſententiam, principio, & fine caret. Achieroglyphicu idcirco Dei, Ægyptii Circulum figurabant, qui nec principium habet, nec finem. VII. eſt Adonai, id eſt, Dominus. VIII. Ja, quod eſt abbreviatum Jehova. Sonatque in Halleluja. eſt enim compoſitum ex hallelu, quod eſt laudate: & Ja, id eſt, Deum. IX. Saddai, id eſt, munificus, liberalis, omnipotens. X. eſt nomen Tetragrammaton, & ineffabile, quod vulgò Jehovai pronuntiãt. Habebatur illud nomē Hebræis ſanctiſſimum, & maximè venerabile, ac fundamentum omnium aliorum nominum Dei.

Unde & religionis cauſa, nunquam illud proloquebantur, præterquam Sacerdotes, & Pontifices in ſolemni benedictione, & ſacrificiis, ut teſtatur *Philo. l.4. de vita Moyſis.*

Cùmque legentibus occurreret in Scriptura, Judæi legebant Adonai: vel ſi concurreret, cum Adonai, pro eo legebant Elohim.

Ob venerationem hujus nominis Pontifex illud gerebat G in tiara ſua, laminæ aureæ inſculptum: quod Alexander Magnus occurrens Jaddo Pontifici, pronus in terram adoravit. teſte Joſepho, lege *c. Exod.* 28.

In novo Teſtamento, non alia nomina reperire eſt, præterquam Deus, & Dominus. Quædam nihilominus attributa maximo numero per integrum Bibliorum Codicem reperiuntur, quæ ex concordantiis ſtudioſus Lector colligere poterit.

Epitheta.

Quamvis varia, ac propè infinita ſint Dei epitheta, nihilominus reperimus Moyſi duodecim ſignificata à Deo, quibus à nobis vult compellari, & invocari: dicuntque ordinem ad homines hominumque ſalutem. Ita enim dicit *Exodi c.34. ver.5. & 6.* I. Dominator, Domine, pro quo eſt Jehova. II. Deus. III. Miſericors, tres gradus miſericordiæ enumerat S. Bernard. quando tardat ferire: quando dat ſpatium reſipiſcentiæ: quando peccati jugum à conſcientia excuit. IV. Clemens V. Patiens VI. multæ miſerationis. VII. Verax. VIII. Cuſtodiens miſericordiam in millia. IX. Qui aufers ini- H quitatem. X. Nullus apud te per ſe innocens eſt. q. d. omnes egent tua miſericordia, & gratia propter culpam originalem, qua omnes tibi ſunt obſtricti, & cujus maculæ omnes natura obnoxii. XI. Qui reddis iniquitatem Patrum filiis. XII. Ac nepotibus in tertiam, & quartam generationem.

Quid Deus.

Sententiæ Patrum.

Deus totus oculus eſt, quia omnia videt: totus manus eſt, quia omnia operatur: totus pes eſt, quia ubique eſt. *Aug. ſuper Pſalm.*120.

Totus in cęlo eſt, totus in terra, non alternis temporibus, ſed utrumque ſimul, quod nulla corporalis natura poteſt, *Idem l.2. de civit. Dei. c.29.*

O æterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas: tu es Deus meus, ad te ſuſpiro die, ac nocte. *Idem l.7. Confeſſionum.*

Ac rurſus *l.10. c.6.* quod eſt amando Deum, ita eleganter, & eruditè ratiocinatur. Quid autem amo, cùm te amo? Non

Non ſpeciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lu- A cis, ecce iſtis amicum oculis, non dulces melodias ſuavium cantillarum omnimodarum, non florum, & unguentorum, & aromatum ſuaveolentiam, non manna, & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cùm amo Deum meum, & tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexum, cùm amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei, ubi fulget animæ meæ, quod non capit locus, & ubi ſonat, quod non rapit tempus, & ubi olet, quod non ſpargit flatus, & ubi ſapit, quod non minuit edacitas, & ubi hæret, quod non divellit ſatietas. Hoc eſt, quod amo, cùm Deum meum amo. Et quid eſt hoc? Interrogavi terram, & dixit: Non ſum, & quæcumque in eadem ſunt, idem confeſſa ſunt. Interrogavi mare, & abyſſos, & reptilia animarum vivarum, & reſponderunt: Non ſumus Deus tuus, quære ſuper nos. Interrogavi auras flabiles, & inquit univerſus aer cum incolis ſuis: Fallitur Anaximenes, non ſum Deus tuus. Interrogavi Cœlum, Solem, Lunam, ſtellas, neque ſumus Deus, quem quæris, inquiunt. Et dixi omnibus iis, quæ circun- B ſtant fores carnis meæ; Dixiſtis mihi de Deo meo, quod vos non eſtis, dicite mihi de illo aliquid. Et exclamarunt voce magna: Ipſe fecit nos, &c.

Sic intelligimus Deum, ſi poſſumus, quantum poſſumus, ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum, ſine indulgentia creatorem, ſine ſitu præſentem, ſine habitu omnia continentem, ſine loco ubique totum, ſine tempore ſempiternum, ſine ulla ſui mutatione mutabilia omnia facientem, nihilque patientem. Quiſquis Deum ita cogitat, etſi nondum poteſt invenire quid ſit, piè tamen cavet, quantum poteſt, aliquid de eo ſentire, quod non ſit. *Idem de Trin. l.5. c.1.*

Deus res quædam eſt captu, ac venatu difficilis, ſemper recedens, atque à perſequente procul ſe removens. *Clem. Alex. Strom. lib.2.*

Ineffabile eſt divinum nomen, & incomprehenſibile. Nam eſſentia Dei quid, & qualis in ſe ſit, comprehendi à creato intellectu, & humano ſermone efferri non poteſt. Ideò Spiritus ſanctus demiſit ſe ad noſtrum captum, & attributis quibuſdam eſſentiam ſuam deſcripſit. *Damaſc. l.1. de fide Orth. c.1.*

Nemo eſt tam rudis, tam feris moribus, quin oculos ſuos in cœlum tollens, tametſi neſciat, cujus Dei providentia regatur C hoc omne, quod cernitur: aliquam tamen eſſe intelligat ex ipſa rerum magnitudine, motu, diſpoſitione, conſtantia, utilitate, pulchritudine, temperatione: nec poſſe fieri, quin id, quod mirabili ratione conſtat, conſilio majore aliquo ſit inſtructum. *Lact. Firm. divin. Inſt. l.1. c.2.* Nemo eſt quidem, qui ſapiat, rationemque ſecum putet, qui non unum Deum eſſe intelligat, qui condiderit omnia, & eadem, qua condidit, virtute moderetur. Quid enim multis opus eſt ad mundi regimen ſuſtinendum? niſi fortè arbitremur, ſi plures ſint minus habere ſingulos nervorum, atque virium, *ibid. c.3.* Deus autem, qui eſt æterna mens, ex omni utique parte perfectæ, conſummatæque virtutis eſt. Quod ſi verum eſt, unus ſit neceſſe eſt. *Id.* Quis dubitet potentiſſimùm eſſe regem, qui totius orbis habet imperium: neque immeritò, cùm illius ſint, quæ ubique ſunt omnia, cum ad eum ſolùm omnes undique copiæ congregantur. *Idem.*

Deus corporis creator, & animæ eſt. Noli deſpicere bonitatem figuli, id eſt, qui te plaſmavit, & fecit, ut voluit, ipſe eſt Dei virtus, & Dei ſapientia, qui in utero virginis Mariæ ædificavit ſibi domum. *Hier. in epiſt. contra Ruffinum, & hab. diſtinct.* D 56. *Naſci de adult. §. Deus corporis erat.*

Deus ſemper largitor, ſemper donator eſt: non mihi ſufficit, quod ſemel dedit, niſi ſemper det. Peto, ut accipiam, ut eum cepero, rurſus peto, avarus ſum ad accipienda Dei beneficia. Nec ille deficit in dando ipſa, nec ego ſatior in accipiendo: quanto plus bibo, tanto plus ſitio. *Hier. contra Pelagium.*

Deus ſimplex eſt, ac diviſionis expers eſſentia, ſimplicitatem, corporiſque vacuitatem à natura habens. *Nazianz. orat.*45.

Creator omnium Deus Pater omnipotens ubique eſt, & ubique totus eſt: in parte non eſt, quoniam ubique totus eſt, in parte quæritur. *Greg. l.16. Moral.*

Deus manet intra omnia, ipſe extra omnia: ipſe ſuprà omnia, ipſe infrà omnia. Superior eſt per potentiam, inferior per ſuſtentationem: exterior per magnitudinem, interior per ſubtilitatem. Surſum regens, deorſum continens, extra circumdans, interius penetrans. *Greg. ſuper Ezech. homil.17. & l.2. Moral.*

S. etiam *Bern. l.5. de conſiderat. ad Pap. Eugenium*, poſtquam dixiſſet, quantum boni accedat quærentibus Deum concludit *c.14.* Quid ergo eſt Deus? quod ad univerſum ſpectat, finis. Quod ad electionem, ſalus. Quod ad ſe, ipſe novit. Quid eſt Deus? voluntas omnipotens, benevolentiſſima virtus, lu- E men æternum, incommutabilis ratio, ſumma beatitudo, creans mentes ad ſe participandum, vivificans ad ſentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, juſtificans ad promerendum, accendens ad zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad ſapientiam, roborans ad virtutem, viſitans ad conſolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuus ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad ſecuritatem.

Philoſophorum Judicia, Et Encomia.

Judicia Philoſophorum.

Deus perpetuam rerum originem fabricatus, univerſum omnibus ſuis numeris explevit. Ariſtoteles *l.2. de Ortu. cap.10. Tit.59.*

Rerum natura malè adminiſtrari non vult: & multorum dominatus, ac principatus non eſt utilis, unus ergo ſit princeps. *lib.1. Metaph. c.10. Tit.56.*

Deus cùm beatus ſit, ac felix, non propter aliquod adventitium adjumentum, ſed per ſe ipſe, & quòd natura ſit bonus. *lib.7. de Repub. c.1.* F

Quod in navi gubernator, quod in curru agitator, quod in choro præcentor, quod denique lex in civitate, & dux in exercitu, hoc Deus eſt in mundo, *l. de Mundo c.6.*

Deus quidem, ſi vim ſpectes, valentiſſimus: ſi decorem, formoſiſſimus: ſi vitam, immortalis: denique ſi virtutem, præſtantiſſimus eſt. *Ibidem.*

Propè Deus eſt, tecum eſt, intus eſt. Ita dico, Lucili, ſacer intrà nos ſpiritus ſedet, bonorum, malorumque noſtrorum obſervator, & cuſtos: Hic prout à nobis tractatur, ita & nos tractat ipſe: bonus verò vir ſine Deo nemo eſt. An poteſt aliquis ſuprà formam, niſi ab illo adjutus, exurgere? Ille dat conſilia magnifica, & erecta in unoquoque bono viro. *Senec. ad Lucil.*

Summa illa, & pulcherrima omnium natura, quos periculo eximit, nec periculoſos quidem fecit. Primus eſt Deorum cultus, Deos credere: deinde, reddere illis majeſtatem ſuam, reddere bonitatem, ſine qua nulla majeſtas eſt, ſcire illos eſſe, qui præſident mundo, qui univerſa, ut ſua, temperant, qui humani generis tutelam gerunt. *Idem epiſt.92.*

Inſita ſunt omnium artium nobis ſemina, magiſterque eſt occulto Deus, producit ingenia.

Quid enim eſt aliud natura, quàm Deus, & divina ratio toti, G mundo, partibuſque ejus inſerta? Ergo nihil agis ingratiſſime mortalium, qui te negas Deo debere, ſed naturæ, quia nihil, natura, ſine Deo eſt, nec Deus, ſine natura, ſed idem eſt uterque, nec diſtat officio. *Senec. lib. de benef.*

Genitorem univerſitatis tam difficilè eſt invenire, quàm inventum impoſſibilè digne profari. *Plato in Timæo.*

Bonus quidem Deus, & quidem Deus cauſa bonorum: malorum autem omnium non cauſa. *Idem lib. de Legib.*

Quid enim eſſe poteſt tam apertum, tam perſpicuum, cùm cœlum ſuſpeximus, cœleſtiaque contemplati ſumus, quàm eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur? *Cic. lib.2. de nat. Deor. in princ.*

Undique omni ratione concluditur, mente, conſilioque divino omnia in hoc mundo ad ſalutem omnium, conſervationemque admirabiliter adminiſtrari. *Idem.*

Eſſe igitur Deos perſpicuum eſt: ut id qui neget, vix eum ſanæ mentis exiſtimem. *Idem.*

Dico igitur, providentia Deorum mundum, & omnes mundi partes, & initio conſtitutas eſſe, & omni tempore adminiſtrari. *Idem.* H

Nihil eſt autem præſtantius Deo, ab eo igitur neceſſe eſt mũdum regi. Nulli igitur eſt naturæ obediens, aut ſubiectus Deus, omnem ergo regit ipſe naturam. Etenim ſi concedimus, intelligentes eſſe Deos, concedimus etiam providentes, & rerum quidem maximarum. Ergo, utrùm ignorent, quæ res maximæ ſint, quoque hæ modò tractandæ, ac tuendæ, an vim non habent, qua tantas res ſuſtineant, & gerant? At & ignoratio rerum aliena naturæ Deorum eſt, & ſuſtinendi muneris propter imbecillitatem difficultas minimè cadit in majeſtatem Deorum: ex quo efficitur id, quod volumus: Deorum providentia mundum adminiſtrari. Atqui neceſſe eſt, cùm ſint Dii, ſi modò ſint, ut profectò ſunt, animantes eſſe, non ſolùm animantes, ſed rationis compotes, inter ſeque quaſi civili conciliatione, & ſocietate conjunctos, unum mundum, ut communem Remp. atque urbem aliquam regentes, ſequitur ut his ſit eadem, quæ in genere humano, ratio, eademque veritas utrobique ſit, eademque lex, quæ eſt recti præceptio, pravique depulſio, ex hoc intelligitur, prudentiam quoque, & mentem à diis ad homines perveniſſe,

niſſe, ob eamque cauſam majorum inſtitutis mens, fides, virtus,
A concordia, conſecratæ, & publicè dedicatæ ſunt. *Idem.*

CENSURA POETARUM. AC PRIMUM GRÆCORUM.

Juvat etiam referre, quid de Deo, ejuſque natura, & omnimoda excellentia etiam ſenſerint Poetarum cùm Græci, tum Latini. Et quidem ex Græcis, Cleantem habemus ita ſcribentem de Deo.

Si quale ſit bonum rogas, ex me audies;
Quod ordinatum eſt, religioſumque, ac pium,
Juſtum, ſui potens, decorum, ac utile:
Quod eſt ſeverum, ſemper utile, ac grave:
Expers metus, doloris, & moleſtiæ.
Juvans, placens, pulchrè ſibi conſentiens.
Clarum, nec inſolens, modeſtum, ac impotens.
Semper futurum, quodque nemo unquam exprimat.

Idem autem tacitè reprehendens vulgi idololatriam, ſub jungit:

Servilis eſt, qui opinionem reſpicit.
B *Ut quid per illam conſecuturus boni.*

Non eſt ergo de Deo ſentiendum convenienter vulgi opinioni.

Nam clanculum haud exiſtimo;
Viri ſceleſti more, diſſimilem ſui
In hoc cubile ſe tuum demittere.

ait Amphion Antiopę. Sophocles autē directè dicit, ac dilucidè:

Congreſſus eſt cum ejus parente Jupiter,
Non aureus forma, aut amictus cygneis
Plumis, puellam olim velut Pleuroniam
Concipere fecit, verum homo planiſſimè.

Deinde eadem perſequens, hæc quoque ſubjunxit:

Celerque ſponſæ poſtibus ſeſe intulit Adulter.

Et deinde narrat apertius incontinentiam Jovis, de quo narrantur hæ fabulæ:

Is nec cibum tetigit, aquæ nec ſe abluit,
Sed ſauciato corde lecto ſe intulit.
Noctemque totam ſe voluptati dedit.

Atque hæc quidem mittantur theatrorum ignorantiæ. Apertè autem dicit Heraclitus: *Ejus, quod oportet, rationem homines ſemper minimè intelligunt, & priuſquam audierint, & cùm primùm audierint.* Lyricus autem Melanippides canens, dicit:
C *Audi me, ò pater, miraculum mortalium, qui regis animam ſemper viventem.* Magnus autem Parmenides, ut Plato dicit in Sophiſta, de Deo hoc modò ſcribit:

Eſt is & ingenuus, nec in illum mors capit ulla,
Unigena eſt, totuſque, & ſemper firmus, & ortus
Expers.

Et Heſiodus:

Cunctorum, quæ morte carent, rex es, dominuſque.
De imperio poterit nec quis contendere tecum.

Jam verò tragœdia quoque abducens à ſimulachris, docet in cœlum ſuſpicere. Sophocles quidem, ut ait Hecatæus, qui compoſuit hiſtorias, ubi agit de Abrahamo, & de Ægyptiis, in ſcena apertè exclamat:

Unus profectò, & unicus tantùm Deus,
Qui cœlum, & amplum condidit terræ ſinum,
Et ſæva ponti terga, vimque flaminum.
At nos homuli, corde cæco devii,
Miſera malorum invenimus ſolatia,
Divum figuras ſaxeas, aut æreas,
D *Niſi aureas malimus, aut eburneas.*
His immolamus, his vivemus & dies
Sacros: & hoc eſt, quod pium eſſe dicimus.

Euripides autem tragicè canens in eadem ſcena:

Vides profundum hunc finis ignarum aera,
Liquidis ſolum omne qui tenet complexibus.
Putato Jovem hunc, eumque credito Deum.

In dramate autem, quod inſcribitur Pirithus, hæc quoque canit tragicè. *Te qui per te ortus es, qui imbre æthereo omnium naturam implicaſti, circum quem lux quidem, & furva nox, variorumquę colorum, & quæ diſcerni non poteſt, aſtrorum multitudo aſſiduè ducit choreas.* Hic enim eum, qui per ſe eſt ortus, mentem dixit opificem. Quæ autem deinceps conſequuntur, pro mundo ponuntur, in quo eſt repugnantia lucis, & tenebrarum. Et Euphorion, & Æſchylus de Deo dicit graviſſimè:

Ætherque, terraque, poluſque Jupiter,
Cœlumque & omnia Jupiter, & ſi quid ſuprà.

Scio ego Platonem quoque Heraclito adſtipulari, qui ſcribit: Unum quod eſt ſapiens, ſolùm dici non vult, & vult nomen Jovis. Et rurſus, Lex eſt, & conſilium uni parere. Quòd ſi velis illud dictum ad ſenſum deducere anagogicum, qui habet aures audiendi, audiat: id invenies ſic declarari ab Epheſio: Qui E
non intelligentes audierunt, ſunt ſurdis ſimiles. Vulgò dicitur, eos abeſſe præſentes. Sed unum quoque principium ex Græcis audire deſideras, Timæus Locrus in opere de Natura, his verbis mihi feret teſtimonium: Unum principium omnium eſt ingenitum, ſi enim eſſet genitum, non eſſet utique ampliùs principium, ſed illud ex quo genitum, eſſet principium.

Omnibus en patet is, claruſque, & apertus, inerrans.

Ut ait Sibylla. Jam verò videtur Homerus quoque dicere patrem, & filium, per aptam, ut videtur, horum divinationem.

Certè cùm ſolus ſis, vim tibi ſi afferat Utis,
Haud ratione queat fugier morbus Jovis ulla,
Namque Jovem ægiferum nihilum curare Cyclopes
Suerunt.

Et ante eum Orpheus loquens de eo, quòd eſt propoſitum, dixit:

Nate Jovis magni, pater, & Jovis ædiferentis.

XENOCRATES autem Chalcedonius, unum quidem vocans ſupremum Jovem, alterum verò ultimum, patrem exprimit, & filium. Et quod eſt admirabile, & præter opinionem, videtur F
Homerus quoque Deum cognoſcere, qui inducit Deos obnoxios humanis affectionibus, quem ne ſic quidem reveretur Epicurus. Sic certè dicit:

Inſequeris cur me pedibus pernicibus, ipſe
Mortalis Pelide immortalem, an tibi notus
Non ego ſum Deus.

DEUM enim à mortali non poſſe capi, nec pedibus, nec manibus, nec oculis, nec denique toto corpore comprehendi, ſignificavit. Cuinam aſſimilaſtis Dominum, aut cuinam ſimilitudini ipſum aſſimilaſtis? inquit Scriptura. Nam faber fecit imaginem, aut aurifex fuſo auro eam inauravit? & quæ ſequuntur. Et Comicus Epicharmus de verbo ſic apertè dicit in Republica:

Scilicet numero, & ratione vita ſtat mortalium. Et,
Rationis uſus per numeroſque vivimus.
Nos iſta ſervant. Deinde ſubjungit apertè:
Ratio gubernat mortales, hoſque conſervat ſimul. Deinde,
Et ratiocinatio ceſſit, & ratio mortalibus.
Sola dirigit mortales ratio, nutrit, atque alit.
Artium omnium eſt inventrix, atque erit ratio à Diis,
Semper hæc docet, quid uſus omnibus facto fiet.
Non enim mortalis artem invenit ullus, at Deus, G
Namque ratio noſtra nata eſt, Deorum ſcilicet.

Jam verò cum ſpiritus clamaverit per Iſaiam, Quid mihi multitudinem ſacrificiorum? inquit Dominus. Plenus ſum holocauſtis arietum: adipem agnorum, & ſanguinem taurorum nolo. Et paulò pòſt ſubjungit: Lavamini, mundi eſtote, auferte iniquitates ab animabus veſtris, & quæ deinceps conſequuntur. Menander Comicus ſcribit iiſdem verbis:

Offerre ſi quis poſtulet ſe victimam,
Tauros, vel hœdos, Pamphile, aut ejuſmodi
Aliud quod: aut ex arte, quod factum ſiet,
Aurata nempè pallia, aut ex purpura,
Animalia adde eburnea, aut ſmaragdina,
Placare & iſtis poſſe numen autumat:
Næ falſus animi eſt, ac ſiniſtra mens ei.
Nam vir neceſſe eſt ſit probus præ cæteris,
Nec virginem defloret ille, aut fœminam.
Vitetque cædem, ac furta, gratia lucri.
A cum nec ipſam, Pamphile, attingas velim.
Namque aſpicit propinquus hæc ſemper Deus. H

DEUS appropinquans, inquit, ego ſum, & non Deus procul. Aut quid faciet homo in occultis, & non videbo ipſum? inquit per Hieremiam. Et rurſus Menander ſic ſcribit:

Neve acum chariſſimè
Alterius unquam concupiſces, nam Deo
Facta haud iniqua, ſed quæ juſta ſunt, placent.
Sinit labore primo veterem ſuam
Terram colentem noctèque, & interdiu
Juſtus; Deo autem rem vide ut facias ſacram,
Sed corde mundo ſplendidus, non pallio.
Quod ſi tonantem audiveris Deum, manè
Si bene tibi ſis domine conſcius: Deus
Nam te videt præſens propè.

Adhuc te loquente, inquit *ſcriptura*, dicam: Ecce adſum Diphilus rurſus Comicus quædam hujuſmodi diſſerit de judicio.

Tunc arbitraris mortuos Nicerate
Qui ſe omnibus reddere gaudiis,
Fugiſſe numen, & latere poſteà?
Eſt juſtus oculus, cuncta qui ſolus videt.

Hinc

Hinc inferorum ponimus duplicem locum,
A *Hunc deſtinamus impiis, illum piis.*
Uterque quamvis conditus terra latet.
Tu ſi lubet furare, quidlibet rape.
Errare noli: judicem inferi dabunt
Deum, ſupremum regem, & autorem omnium.
Cujus nec horridum ipſe nomen dixerim.
Qui ſæpè vitam protrahit nocentibus.
Quod ſi quis illum, cùm ſceleſta perpetrat,
Latere credit, quotquot occidunt dies.
Næ totus errat, quod vel eventus docet.
Quaſi ocioſa cum Dei ceſſat manus,
Caveto quiſquis eſſe non credis Deum.
Eſt, eſt profectò, ſi quis interim ſcelus
Patrat ſceleſtus, ponat in lucro moram.
Namque ille tandem maximam pœnam dabit.

Convenit autem his quoque tragœdia:

Erit profectò ſeculi tempus novi,
Quando ignis effundere refertas copias
Auratus æther, flamma ambedetque rapax
B *Terrena cuncta, cunctaque uret perfurens.*

Et paulò pòſt:

cuncta ubi defecerint,
Totum profundum tunc peribit, fluctuum.
Tellus manebit ſed relicta, non enim
Pennata genera gignet igne torrida:
Servabit at dein cuncta, quæ amiſit priùs.

His ſimilia invenimus etiam in Orphicis ſcripta hoc modò:

Nam quos celarat, jucunda ad lumina cunctos,
Rurſus ſollicitus ſacro de corde remiſit.

Quòd ſi ſanctè, & juſtè vixerimus, beati hìc quidem, ſed poſt exceſſum è vita beatiores, non qui aliquo tempore felices futuri ſimus, ſed in ævum quieturi.

Unà cum ſuperis habitantes: menſa in eadem
Qua fortes Danai, communi & ſorte fruentes,

ait philoſophica Empedoclis poetica. Non erit aliquis adeò magnus, vel ex Græcorum ſententia, ut ſuperet juſtitiam: neque adeò parvus, ut lateat. Idem autem Orpheus hæc quoque dicit:

At verbum aſpiciens divinum, totus in illo
Perſiſte, atque tua præcordia corrige mentis,
C *Ingrediens recta, & ſolùm cœli aſpice regem*
Immortalem.

Et rurſus de Deo dicens, eum non cadere ſub aſpectum, ait eum fuiſſe cognitum, uni ſoli generi Chaldæo, ſive eum dicens Abrahamum, ſive ejus filium, his verbis:

Unus præterquam, cui derivatur origo
Chaldæum ex genere, is noſcebat ſidera cœli,
Illorumque vias, & qui moveatur in orbem
Sphæra, & tellurem circumvertatur in axe:
Spiritus, & regat hanc, & in aere, & æquore fuſus.

Deinde illud ſubjungit: Cœlum mihi eſt ſedes, terra autem ſcabellum pedum meorum:

Ipſe autem in magno conſtans, & firmus olympo eſt.
Aureus huic thronus eſt, pedibus ſubjectaque terra,
Oceani ad fines illi protenditur ingens
Dextera, montanas, atque intus concutit illi
Ira baſes, motus nec poſſunt ferre valentes.
Ipſe eſt in cœlis, & terram amplectitur omnem.
Principium ſolus, mediumque eſt, atque ſupremum.
Non aliter fas eſt te dicere, membra tremiſcunt,
D *Cogito dum ſummum:*

& quæ deinceps ſequuntur. Per hæc enim ſignificavit omnia illa prophetica: Si aperueris cœlum, tremor ex te apprehendet montes, & liqueſcent, ſicut à facie ignis liqueſcit cera. Et per Eſai. Quis menſus eſt cœlum palmo, & terram pugillo? Rurſus quando dixit:

Ætheris, atque erebi, ponti, terræque tyrannus,
Terribili tonitru quaſſas vaſta atria cœli.
Dæmones, & quem horrent, timet, & quem turba Deorum.
Cui parent Parcæ, quamvis nil mitiget illas.
Exitii expers Matripater, volvuntur ab ira
Cujus cuncta: moves vento qui, atque omnia nymbis
Contigit atque ſecas latum æthera fulmine. In aſtris
Perpetuus tuus eſt ordo, præcepta ſequendo,
Candentique tuæ ſedi permulta laborans
Adſtant Angelicus populus, queis maxima cura
Mandata eſt hominum. Producit ver tibi flores
Purpureos veniens. At te quoque triſtis hyems eſt.
Nubibus adventus gelidis, quas dividis uvis:

Deinde ſubjungit, apertè Deum appellans omnipotentem:

Exitii expertem, immortalem: dicere ſolum E
Quem poſſunt, quibus innatum morte carere.
Maximè Divorum fato comitatus adeſto,
Magnus, & expers interius, qui es ab æthere cinctus.

At per illud quidem Matripater, non ſolùm ſignificavit generationem, ſed etiam dedit occaſionem iis, qui introducunt productionem, ut Dei quoque conjugem excogitarent. Paraphraſticè autem ſcripturas illas exponit propheticas, nempè & eam, quæ dicitur per Iſaiam: Ego ſolidans tonitru, & creans ſpiritum, cujus manus exercitum cœli fundaverunt: & eam, quæ per Moyſen. Videte, videte, quòd ego ſum, & non eſt alius Deus præter me. Ego occidam, & ego vivere faciam: percutiam, & medebor, non eſt, qui de manibus meis eripiat.

Ipſe malumque, bonumque infert mortalibus, atque
Ærumnas triſtes, deinde & lachrimabile bellum,

ex Orphei ſententia. Talia etiam Archilochus Parius: *O Jupiter, tuum quidem eſt imperium cœli: tu autem opera in cœlis vides improba, & juſta.* Canat rurſus nobis Orpheus F
Thracius.

Oceani ad fines expanſa eſt, & manus illi
Undique dextera, ſub pedibus ſubjectaque terra eſt.

Hæc illinc apertè ſumpta ſunt, nempè, Dominus ſervabit civitates, quæ habitantur: & totum orbem terræ manu comprehendet tanquam nidum. Dominus, qui fecit terram in fortitudine ſua, ut ait Hieremias, & erexit orbem terræ in ſu ſapientia. Prætereà autem Phocylides angelos vocans dæmones, alios quidem ex his eſſe bonos, alios verò eſſe malos, his oſtendit. Nam nos quoque accepimus aliquos, qui defecerunt.

Dæmonibus non una viris natura nocendi eſt:
Sunt etenim longè venientia, qui mala pellunt.

Rectè verò Philemon quoque Comicus; ſimulachrorum cultum per hæc exſcindit:

Fortuna non eſt ulla, quam dicunt Dea,
Non eſt, ſed unicuique ſi quid contigit
Caſuque fit, fortuna nobis dìcitur.

Sophocles autem Tragicus:

Ipſis non veniunt certe Diis omnia ſponte,
Excepto Jove: principium nam, & finis in illo eſt.

Et Orpheus:

Regnum unum eſt, dæmon unus, qui lumine complet G
Cœlum, facta in eo ſunt, in quo, & cuncta moventur,
Ignis, aqua & tellus: & quæ deinceps conſequuntur.

Et Pindarus Lyricus, veluti quodam Bacchico furore corripitur, & apertè dixit: Quid ſit Deus, nempè, quod univerſum. Cùm autem dixerit: Exiguam ſapientiam ſperat homo habere ab homine: Deorum autem conſilia mortali mente ſcrutari, eſt difficilè, mortali autem natus eſt ex matre: ex illo deduxit ſententiam, nempè: Quis novit mentem Domini? aut quis ejus fuit Conſiliarius? Quinetiam Heſiodus cùm ita ſcribit, his conſonat:

Non vates inter terreſtres ullus habetur,
Qui Jovis ægiferi poſſit cognoſcere mentem.

Meritò ergo Solon Athenienſis, qui ipſe quoque ſecutus eſt Heſiodum, ſcribit.

Omnibus atque viris mens eſt obſcura Deorum.

Rurſus cum Moyſes prædixerit mulierem in labore, & dolore eſſe parituram, propter prævaricationem, ſcribit quidam poeta non ignobilis:

Nunquam noctuque, diuque
A triſti ærumna ceſſabunt, atque labore, H
Harum, Diique mittent in pectora curas.

Prætereà Homerus, cum dixit:

Ex auro verùm trutinas pater ipſe movebat.

Deum juſtum ſignificat. Menander autem Comicus Deum bonum ſignificans, dicit:

Adeſt viro cuilibet Dæmon bonus,
Ut quiſque primum naſcitur, vita ſacer
Præſes regenda: quippè dæmonem, malum
Eſſe haud fatebor, qui boni lædat viri
Vitam.

Deinde ſubjungit, & bonum in omnibus Deum, aut omnem Deum dicit eſſe bonum, aut quod potiùs dicendum eſt, Deum eſſe bonum in omnibus. Rurſus Æſchylus Tragicus, Dei exponens potentiam, non veretur ipſum appellare etiam altiſſimum, in hiſce:

Mortalibus ſejungite à rebus Deum,
Similemque nobis eſſe ne credas, cave.
Non noſcis ipſum, nunc enim inſtar ignis eſt,

Tangi-

Tangique prohibet: nunc tenebræ, nunc aqua eſt,
Quin & feris ſubinde ſimillimus.
Ventoque, nebulæque, pluviæ, atque tonitrui.
Inſervit illi pontus, & vaſtæ petræ:
Omniſque fons, & unda, ſi quæ eſt uſpiam,
Tremuntque montes, terraque, & vaſti maris
Ingens profundum, & montium cacumina,
Cum cuncta domini lumen horrendum aſpicit.
Nam gloria Dei nihil non poteſt altiſſimi.

An non tibi videtur explicare paraphraſticè illud, A facie Domini tremuit terra! Huc accedit, quod Apollo divinandi peritiſſimus, Dei gloriæ ferens teſtimonium, cogitur dicere de Minerva, quando Medi bellum gerebant adverſus Græciam, rogaſſe, & Jovi ſupplicaſſe pro Attica. Sic autem habet oraculum:

Caſta Jovem haud potis eſt ſummum placare Minerva,
Permultis verbis, prudenti, & pectore ſupplex.
Igni at multa dabit vehementi templa Deorum,
Quæ ſudore hic ſtant nunc promanantia multo
Et concuſſa metu: & quæ ſequuntur.

Thearides autem ſcribit in libro de Natura: Unum eſt autem eorum, quæ ſunt principium verùm, unum. Illud enim eſt in principio unum, & ſolùm.

Sed non eſt alius quiſquam magno ſine Rege,

inquit Orpheus. Cui credens Comicus Diphilus ſententioſiſſime. Eum, inquit, qui eſt pater omnium ſolùm honora perpetuo,
Qui tot bonorum inventor eſt, & conditor.

Homer. in ζ. Odyſſ.

Ζεὺς δ' αὐτὸς νέμει ὄλβον ὀλύμπιος ἀνθρώποισιν,
Ἐσθλοῖς ἠδὲ κακοῖσιν, ὅπως ἐθέλησιν ἑκάστῳ.
Jupiter ipſe diſtribuit divitias olympius hominibus,
Bonis, atque malis, quomodò voluerint unicuique.

Homer. in ρ. Odyſſ.

Ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον.
Sanè ſemper ſimilem ducit Deus ad ſuum ſimilem.

Phocyllides.

Πρῶτα θεὸν τίμα, μετέπειτα δὲ σεῖο γονῆας.
In primis venerare Deum, poſt verò tuos parentes.

Pittacus.

Πρὸ πάντων σέβου τὸ θεῖον,
Ante omnia cole numen.

Heſiodus.

Οὔτι πως ἔστι Διὸς νόον ἐξαλέασθαι.
Nequaquam ſanè poſſibilè eſt Jovis mentem decipere.

LATINORUM.

Boet. 3. 9.

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum, cœlique ſator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, ſtabiliſque manens das cuncta moveri.
Quam non externæ pepulerunt fingere cauſæ
Materiæ fluitantis opus, verùm inſita ſummi
Forma boni, livore carens.

Manlius 1.

Deus eſt, qui non mutatur in ævo.
Nunquam tranſverſas Solem decurrere ad Arctos,
Nec mutare vias, & in ortum vertere curſus.
Auroramque novis naſcentem oſtendere terris,
Nec lunam certos excedere luminis orbes:
Sed ſervare modum, quo creſcat, quove recedat:
Nec cadere in terram pendentia ſidera cœlo.

Horat. 1. Carm. 24.

Valet ima ſummis
Mutare, & inſignem attenuat Deus,
Obſcura promens.

Horat. 3. Carm. 4.

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventoſum, & urbes, regnaque triſtia,
Divoſque, mortaleſque turbas
Imperio regit unus æquo.

Manlius. 1.

Ac mihi tam præſens ratio non ulla videtur,
Qua pateat mundum divino numine verti,
Atque ipſum eſſe Deum: nec forte coiſſe magiſtra,
Ut coluit credi, qui primus mœnia mundi
Seminibus ſtruxit minimis, inque illa reſolvit
Æquis, & maria, & terras, & ſidera cœli:
Ætheraque immenſos fabricantem finibus orbes,
Solventemque alios, conflare, & cuncta reverti
In ſua principia, & rerum mutare figuras.
Quis credat tantas operum ſine numine moles
Ex minimis, cæcoque creatum fœdere mundum?
Si ſors iſta dedit nobis, ſors ipſa gubernet.
At cur diſpoſitis vicibus conſurgere ſigna,
Et velut imperio præſcriptos reddere curſus
Cernimus, ac ullis properantibus ulla reliquit?
Cur eadem æſtivas exornant ſidera noctes
Semper, & hybernas eadem, certamque figuram,
Quiſque dies reddit mundo, certamque relinquit!

Senec. Thyeſt.

Res Deus noſtras celeri citatas
Turbine verſat.

APOPHTHEGMATA, ET RESPONSA ETHNICORUM.

AGESILAUS moturus bellum adverſus Perſarum Regem, quo Græcos Aſiam incolentes libertati reſtitueret, Jovis Dodonæi conſuluit oraculum: is juſſit, ut pro ſuo arbitratu bellum inſtrueret, verùm cùm Ephori ad Delphicum quoque oraculum conſulendum miſiſſet, hoc pacto propoſuit conſultationem: Num Apollo, idem tibi videtur, quod patri Jovis ſe oraculum omninò probare reſpondit: Quo dicto oſtendere voluit deorum omnium concordiam: qui ſi inter ſe diſſentiant, non profectò revera ſunt Dii. *Plut. in Lac.*

THALES percontatus, Quid eſſet Deus: Quod principio, & fine caret, reſpondit. *Laert. in ejus vita.*

ZALEUCUS procœmio legum, quas ſcripſit Locrenſibus, hæc verba præfixit: Omnes, qui urbem, ac regionem inhabitant, perſuaſos eſſe oportet, exiſtimareque, deos eſſe, quod manifeſtum fit cœli, & totius mundi inſpectione, rerumque in ipſis diſpoſitione pulcherrima, & ordine. Haud enim fortuita, aut humana ejuſmodi opera putare convenit. *Stob. ſerm. 42.*

ANONYMUS de Deo interrogatus, reſpondit: Quod eſt in triremi gubernator, in curru rector, præcantator in choris, dux in urbe, Imperator in exercitu, hoc eſt in mundo Deus. *Apul. de Mundo. Id authori libr. de mundo inter Ariſt. opera, collocati tribuitur.*

SIMONIDES, interrogatus olim ab Hierone tyranno, Quidnam eſſet Deus? Deliberandi unum ſibi diem poſtulavit, cùm idem ex eo poſtridiè quæreret, biduum petiit, ac cum ita ſæpiùs duplicaret numerum, admiratuſque Hiero tyrannus, qui rogaverat, efflagitaret, cur ita faceret, Quia inquit, quanto diutius conſidero, tanto mihi res videtur obſcurior. *Cic. de Natura Deor. Bruſ. lib. 2. cap. 6.*

SOCRATES dicebat, deos omnium optimos, ac feliciſſimos: ad horum ſimilitudinem, quo quiſque propius accederet, hoc meliorem eſſe, & beatiorem. Si corrigas unius vocis numerum, nihil dici poteſt Chriſtianus *lib. 3. apoph.*

PLATO dicebat, Deum nullo uſpiam modo injuſtum eſſe, ſed planè juſtiſſimum. Nec ei, inquit, ſimilius inveniri poteſt quicquam, quam qui inter nos juſtiſſimus fuerit. *In Theatro.*

EUSEBIUS Philoſophus dicebat, non quærendum an Dii ſint: ſed protinus eſſe credendum. Nam quæſtione, inquit, propoſita etiam ille, qui impiiſſimam opinionem defendit, nempè deos non eſſe, ſuperare conatur. *Stob. ſerm. 73.*

CALLICRATIDAS *Pythagoricus.* Mundus (inquiebat) Græcè *κόσμος* appellatur, ut qui per communem omnium diacoſmeſin, id eſt, decoram adminiſtrationem, ad unum optimum dirigatur. Eſt verè illud unum optimum, Deus ipſe, qui ſecundùm cogitationem exiſtit, vivens cœleſte, incorruptibile, principium, & cauſa diſpenſationis omnium rerum. *Stob. ſerm. 83.*

ALEXANDER in Jovis Ammonis templo cùm à vate dictus eſſet Jovis filius, Nihil, inquit, mirum, nam Jupiter omnium quidem natura pater eſt, ſed ex his optimos quoſque peculiariter ſuos facit. Modeſtiſſimè interpretatus eſt oraculum: nam vates per adulationem dixit, illum filium Jovis: quaſi ſic à Jove prognatus eſſet, quemadmodum Hercules creditus eſt eſſe Jovis filius. Alexander faſſus eſt: Jovem Naturę autorem, ac parentem eſſe omnium, ſed eos demum peculiariter pro ſuis filiis agnoſcere, qui virtute, ac præclarè geſtis proximè ad divinam naturam accederent. Ea eſt, omnibus benefacere. *Plut. in apoph.*

THALES, dicebat, Homines exiſtimare oportere deos omnia cernere, deorumque omnia eſſe plena, & tunc fore omnes caſtiores. *Cic. l. 2. de Leg.* Idem percontatus, An facta hominum deos fallerent. Ne cognita, inquit, vi non ſolùm manus, ſed etiam mentes puras habere vellemus, cùm ſecretis cogitationibus noſtris cœleſte numen adeſſe credimus. *Laert. in ejus vita. Val. Max. lib. 7. cap. 2.*

ZENO,

ZENO, cum ex Zenone Stoico quidam quæreret, An Deum latere poſſit injuriam faciens? Immò, inquit, ne cogitans quidem. *Max. ſer. 15.*

DIOGENES videns mulierem ad aras deorum tam incurvato corpore procumbentem, ut obſcœna quædam apparerent. Non vereris, inquit, mulier, ne ſtante poſt tergum Deo (cuncta enim plena Deorum ſunt) inhoneſtè te habeas. *Laert. l. 6.*

ATHENODORUS dicere prudenter ſolebat: ita nos cum hominibus homines vivere debere, ac ſi Deus retributor bonorum, malorumque ultor omni loco, ac tempore actiones noſtras intueretur, conſpiceretque humanis noſtris oculis. *Fulg. l. 7. c. 2.*

Idem, tunc ſcito, inquit, eſſe te omnibus cupiditatibus ſolutum, cùm eò perveneris, nihil Deum roges, niſi quod rogare poſſis palàm. Nunc enim quanta dementia eſt hominum? Turpiſſima vota diis inſuſurrant. Si quis admonuerit, conticeſcent, & quod ſcire hominem nolunt, Deo narrant. Vide ergo, ne hoc præcipi ſalubriter poſſit? Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat: ſic loquere cum Deo, tanquam homines audiant. *Sen. Ep. 10.*

JAMBLICUS, ſicut (inquiebat) oriente ſole tenebræ ejus præſentiam ſuſtinere non poſſunt, ſed ſubitò ſubterfugiunt, nihil ſolem impedientes: ſic undique refulgente poteſtate divina, quæ replet omnia bonis, perturbatio omnis nullum habet locum, ſed repentè diſperditur, *l. de myſteriis.*

DÆMONAX, cùm admoneretur ab amico quodam, ut ſecum, in Æſculapii templum iret, dominumque pro ſalute filii oraret: Adeòne inquit, ſurdaſtrum exiſtimas Deum, ut nos niſi in templo non ſit auditurus? *Recitat. l. 8. Apoph.*

ANTALCIDAS, cùm in Samothracia initiaretur, rogatus à ſacerdote, quid egregium patraſſet in vita? Si quid, inquit, mihi tale peractum eſt, ſciunt ipſi Dii. Exiſtimans, ineptum commemoratione ſuorum geſtorum ſe diis commendare: qui ſive prædicaret, ſive ſileret, nihilominus noverant. Nam apud ſacerdotem poterat etiam falſa narrare. *Plut. in Lac. Id. de Lyſ. effertur.*

Quidam ſacris initiatus Laconem rogavit, quid ſibi conſciret maximè impiè factum per omnem vitam? At ille; Hoc, inquit, dii ſciunt. Cùm initiator magis urgeret, diceretque, Omninò proferat neceſſe eſt. Lacon viciſſim rogavit: utrùm, inquiens; oportet me tibi dicere. An Deo? Cùm ille reſpondiſſet, Deo: Tu ergo, inquit, hinc ſecede, ut illi dicam. *Plut. in Lac.*

CRATES, cùm deformi eſſet corpore, in certaminibus tamen corpus ſuum denudare pro more pugnantium non erubuit. Verùm à ſpectatoribus ob id deriſus: De oculis, inquit, ò Crates, & reliquo corpore, bono es animo, mox enim videbis eos qui corpus tuum deforme, modò turpiter derident, morbo contrahi, & omnibus viribus deſtitui, & tum te beatum eſſe ſentient: defornmem quidem, ſed ſanum, robuſtum, & laboris patientem. Senſit homo ethnicus, quàm variè Deus ſua dona hominibus diſtribuat, alium ornat forma, & ſanitate, alium ſapientia: hunc virtutibus, illum corporis robore: ita tamen, ut non uni, & ſoli omnia conveniant. *Laer. l. 6. c. 5.*

STRATONICUS invitatus aliquando, ut audiret cytharædum canentem, poſtquam audierat, recitavit illum verſiculum Homericum; Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ ἕτερον δ' ἀνένευσε, id eſt, *huic dedit hoc pater altitonans, verum abnuit illud.* Cuidam roganti, Quo pacto? expoſuit, malè cithara canere dedit, benè canere negavit, *l. 6. Apoph.*

DERCILLIDAS, miſſus orator ad Pyrrhum, qui jam exercitum induxerat in terram Spartanorum, ut cognoſceret, quid ſibi vellet: cùm Pyrrhus præſcriberet, ut regem ſuum Cleonymum reciperent alioqui futurum, ut intelligerent, ſe nihilo cæteris eſſe fortiores, hunc in modum, reſpondit. Si Deus eſt Cleonymus, non metuimus eum, quippè qui nihil ſceleris commiſimus: ſin homo eſt, nihilo eſt nobis præſtantior. Hoc dilemmate perſtrinxit ſuperbas regum minas. Dii, qui quos velint, poſſunt lædere, nec à quodam lædi viciſſim, non nocent, niſi improbis, homines hominibus ex æquo metuendi. *Plut. in Lac.*

CATO Uticenſis, cùm Pompejo res infeliciter cederent, & ad Cæſarem inclinaret victoria, Cato dicebat, in rebus divinis multũ eſſe caliginis: quod Pompejo præter jus agenti fuiſſent omnia proſpera; cauſam Reip. tuenti nihil bene ſuccederet. *Pl. in Caton.*

XENOPHON dicebat tum maximè colendos eſſe Deos, cùm homini res ſunt ſecundæ: ut cùm inciderit neceſſitas, confidenter illos imploremus, utpotè benevolos jam, & amicos. Rectè Xenophon. Sed vulgus hominum contra facit, in felicitate profunda eſt Dei oblivio: cùm urget calamitas, tum demum utcumque, & perfunctoriè ad illum confugimus, *l. 7. Apoph.*

PHILO cum Judæis apud C. Caligulam accuſatus ab Appione, quòd Cæſari divinos honores non tribueret, ejectus ex aula, ſociis Judæis reſpondit. Bono animo nos eſſe oportet, quibus iratus eſt Cajus, quia neceſſe eſt adeſſe divinum, ubi humanum ceſſat auxilium. *Euſeb. l. 2. Ecc. hiſt. c. 5.*

THALES, interrogatus olim, quidnam in tota rerum natura eſſet vetuſtiſſimum? Reſpondit Deus, Quid ita? ὅτι ἀγένητος hoc eſt, nunquam eſſe cœpit, *l. 7. apoph. ex Laert. 1.*

CHRISTIANA.

CHRISTUS JESUS (cui, utpotè Divinæ naturæ hypoſtaticè unito, certa hac in re fides) Adoleſcenti roganti, Magiſter bone, quid faciam, ut habeam vitam æternam? reſpondit: Quid me interrogas de bono? unus eſt bonus (videlicet originaliter, ex ſe, & abſolutè) Deus, quaſi dicat, Qualis ego, ut homo, quem tu me ſolùm exiſtimas, non ſum. *Matth. c. 19. Marc. c. 10. Luc. 18.*

A tyranno per contemptum interrogatus S. Attalus Martyr, quod nomen haberet Deus, dixit: Qui plures ſunt, nominibus diſcernuntur: qui autem unus eſt, non indiget nomine. Verè Simonides ſimile quid percontanti Hieroni tyranno, Quanto diutiùs, inquiebat, conſidero, tanto mihi res videtur obſcurior. *Euſeb. l. 6. Ecc. hiſt. c. 3.*

Non minùs doctè, quàm argutè Evagrius Epiſcopus, qui dum quæſtio de Divinitate incidiſſet; Ego quidem, inquit, Divinitatem definiendam non eſſe aſſero, ideòq; ſilentii tantùm oratione adorandam, quia ineffabilis eſt. Venit hic in mentem illud Statii:

Nulla autem effigies, nulli commiſſa metallo
Forma Dei: mentes habitare, & pectora gaudet. Socrates.

Haud aliter Pius II. Pontifex, qui quoties Dei, ejuſque naturæ meminerat, illud identidem inſonabat: Divina natura credendo meliùs, quàm diſſerendo inveſtigatur. *Platina in vita.*

D. LUDOVICUM Francorum Regem prioribus non ineptè adjungimus à quo cùm in cœtu Religioſorum Seneſchalcus Campaniæ ſciſcitaretur, Quid eſt Deus? & ille cogitabundus hallucinaretur quæſtionem reſolvit, inquiens: res adeò bona, & præſtans, ut nihil ea meliùs præſtantiuſque dati, vel excogitari poſſit. Idem longè ante eum, Ethnicus aliàs, de ſuo Jove Horatius:

Unde nil majus generatur ipſo,
Nec habet quicquam ſimile, aut ſecundum.
Jonvil. in vita ejuſd. c. 94. Beyerlinck in Apoph. Chriſtian.

HIEROGLYPHICA.

Ciconia Dei eſt Hieroglyphicum Quia enim huic aliti linguam non ineſſe obſervatum eſt: ſignificat *Deum* omnia tacito perficere ſilentio, nec debere nos ſuper eo loqui, quem nulla queat humani vis ingenii ſatis admirari, *Pier. l. 17.* Eadem eſt ratio, cur *Deus* per *Crocodilum* hieroglyphicè ſit præfiguratus. *Idem l. 29.*

Principii, finiſque nuſquã apparentis ratione habita, Ægyptii *Deum* ex hieroglyphico *Circuli* intelligebant. *Pier. Val. lib. 39.*

Dei vim ſignificabant olim per *Janum effictum quadrato lapide* ab exili baſi in latum exurgente. Deo enim, neque pedibus, neque manibus opus eſt, ad ea, quæ juſſerit efficiẽda: utpotè qui nutu ſolo totum poteſt mundum tremefacere. *Pier. Valer. l. 35.*

Per *Oculum*, quoque *Deum* præfiguratum hieroglyphicè legimus. Ut enim in minori mundo, id eſt, homine, oculi ſunt articulorum omnium præſtantiſſimi, pulcherrimique omnium actuum moderatores: ita *Deus Opt. Max.* mundi *oculus*, ac moderator: qui & ab Apoſtolo Jacobo, *Pater hominum* appellatur: cujus oculis omnia nuda, & aperta ſunt: quippè ita bonos, atque malos ſpeculetur, & adeò in ima cordis proſpiciat. *Pier. Valer. lib. 33.*

Nec otioſum erat per *Septenarium numerum* exprimere *Dei*, hieroglyphicum: quippè quòd ea ſit ejus numeri prærogativa, ut ipſe ſibi ſimilis, alter ab aliis ſit, veluti *Deus* dux, & princeps, & univerſorum ſolus ſemper ſingularis, & immobilis. Nam alii numeri partim generant non geniti: partim generantur, cum minimè generent: alii utrumque obeunt munus: ſolus *Septenarius* utriuſque conditionis. *Pier. Val. l. 37.*

* VARIA DEI ATTRIBUTA SACRIS Exemplis, Ac Hiſtoriis Significata.

AC PRIMUM.

Unum Deum eſſe, verum, & incomprehenſibilem.

EX S. SCRIPTURA.

ELIAS verus Propheta ad demonſtrandum unum Deum eſſe, nullo negotio ignem de cœlo per invocationem deduxit; quod multi falſi Prophetæ à ſuo Baal impetrare non potuerunt. *3. Reg. 18.*

EX HISTORIIS SACRIS.

Poſtquam Petrus, & Paulus Apoſtolorum Principes à Deo miſſi Conſtantino Imperatori apparuiſſent, ut ad baptiſma ſuſcipiendum opera S. Sylveſtri Romani Pontificis hortarentur, à ſomno excitatus, Epiſcopum acciri jubet, & ea, qua decuit,

cuit obſervantia, & veneratione conſidere juſſit, eumque ha-
A beretne Deos Petri, & Pauli appellatione diligenter percontatus eſt. Cui Sylveſter. Nobis, inquit, ò Imperator dii multi non ſunt, ſed unus, cujus opus eſt univerſum hoc. Petrus verò, & Paulus, quos dixiſti, dii prorſus non ſunt, ſed ſervi, & Apoſtoli Dei, qui quòd præcipuè propter egregiam fidem, charitatiſque ardorem, & deſiderium, Deo grati, charique fuere, ſanctitatis arcem occuparunt, primum inter ſanctos locum obtinentes. Primi quippè gentibus omnibus divinitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti annuntiarunt, atque ab ipſis Eccleſiæ omnes initia ſumpſerunt. *Euſeb. l.7 hiſt. Eccleſ. c.33.*

S. Procopius cùm in judicio ſiſteretur, & ei imperatum eſſet, ut Diis immolaret, unum ſoulm Deum ſe ſcire dixit, cui, ſicut ab eo ipſo præceptum eſt, ſoli eſſet ſacrificandum. Poſtquam verò quatuor Imperatoribus hoſtias etiam offerre illi mandatum fuit, ſententiam quandam, quæ illis parum arridebat, elocutus, hoc ſcilicet Homeri carmen; *Non bona res multi Domini, Rex unicus eſto*; extemplò ſecuri percutitur. *Euſeb. l. 8. hiſt. Eccl. c. 12.*

S. Tiburtius ſancti Sebaſtiani opera Chriſtianus, cum ob
B eam cauſam ad Fabianum judicem adductus eſſet, multaque apud illum de Chriſti fide prædicaret, excandeſcens judex pavimentum candentibus carbonibus ſterni jubet: Mox, Tiburti, ait, vel Diis noſtris ſacrifices oportet; vel per iſtos carbones nudis pedibus tibi incedendum eſt. At ille crucis ſigno ſe muniens, fidenterque ambulans in pruna; Diſce, inquit, ex hoc ſolùm eſſe Deum, quem Chriſtiani colunt; prunæ enim mihi flores videntur. *Ex Brev. Rom. Concil. Trid. 11. Aug.*

Duo fratres Dominicani inviſerunt aliquando F. Ægidium Minoritam, cùmque inter ſe de rebus divinis colloquerentur, & occaſione data alter ex eis diceret, S. Joannem Evangeliſtam in ſui Evangelii exordio ſublimia, & quæ comprehendi non poſſint, dixiſſe de Deo, Ægidius ait: Immò verò S. Joannes nihil dixit de Deo. Dicenti autem Dominicano: Quid tu loqueris, pater? cùm teſtetur Auguſtinus, ſi ſublimius locutus eſſet S. Joannes, totum mundum eum capere non potuiſſe. Ne ſic ergo dixeris, nihil eum dixiſſe de Deo: At Ægidius reſpondit: Equidem permaneo in ſententiâ, rurſuſque ajo, propè eum nihil dixiſſe de Deo. Cùm autem id indignè ferret Dominicanus, mentem ſuam hac ſimilitudine aperuit
C Ægidius: Vides, inquit, altiſſimum hunc montem; Is ſi totus ex milii ſemine conſtaret, & exigua avis quotidiè inde comederet, quantam putas ejus portionem etiam centum annis abſumeret? Reſpondet Dominicanus: Etiamſi mille annis inde ederet, nihil tamen id eſſet comparatione reliqui montis. Sic ergo, inquit F. Ægidius, etiam ſe habet immenſa Deitas, tamque ingens, & infinitus eſt divinæ perfectionis mons, ut S. Joannes inſtar parvæ avis, nihil dixerit de Deo, ſi reſpicias ad ſummam ejus majeſtatem. *In vita ejus apud Sur. 23. April.*

Inter ea, quæ Conſtantinus Magnus poſt baptiſmum ſuſceptum conſtituit, Senatu in Baſilicam, quæ Ulpia dicitur, convocato, ſincera mente etiam ſanxit, ne de cætero Dii eſſe, vel dicerentur, vel crederentur: non deos hominum eſſe, ſed potiùs homines deos illorum eſſe dictitans. Et cùm ſeipſum ea in re apertum, manifeſtumque haberent exemplum, ut Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut Deum verum, certumque in cœlis regnantem adorarent, & colerent: Et ne quis aliquid veteris erroris apud ſe hærere ſuſpicari poſſet, ſinceritatis ſuæ indicium, templum in palatio ſuum oſtendit. Populus porrò
D hujuſmodi Imperatoris dictis applaudens, quadrageſies Chriſtianorum Deum verum Deum eſſe exclamavit. *Niceph. Calliſt. lib. 7. hiſt. Eccleſ. Tit. 34.*

Deum eſſe trinum in perſonis.

☞ *Vide locum proprium* De SS. Trinitate.

Anno Domini 583. controverſia orta inter Catholicum Diaconum, & Arianum presbyterum de fide Trinitatis, quæ miraculo dirempta eſt. Regem geſtam ſic narrat Gregorius: Arianorum presbyter cum Diacono noſtræ religionis altercationem habebat, proferens contra Dei Filium, ac Spiritum ſanctum, ut mos eſt genti, venenoſas aſſertiones. At ille cùm diù, multùmque nonnulla de fidei noſtræ ratione diſſeruiſſet, & hæreticus perfidiæ obcæcatus caligine, quæ erant vera, reſpueret, juxta illud; quia *in malevolam animam non introibit ſapientia*; adjecit dicens: Quid longis ſermocinationum intentionibus fatigamur? Factis rei veritas approbetur: Succendatur ignis æneus, & in ferventi aqua annulus alicujus proiiciatur. Qui verò eum ex ferventi unda ſuſtulerit, ille juſtitiam E
conſequi comprobetur: quo facto pars diverſa ad cognitionem hujus juſtitiæ convertatur. Intelligè itaque & tu, hæretice, ſi hæc pars noſtra, Spiritu ſancto adjuvante, compleverit: nihil in ſancta Trinitate diſſonum, nihil eſſe diſſimile fatearis. Conſenſit hæreticus huic definitioni, & inito uſque manè placitò diſceſſerunt. Sed fidei fervor, per quem hæc primùm Diaconus protulerat, cœpit, inimico inſidiante, tepeſcere. Diluculo autem ſurgit, brachium infundit oleo, unguento conſpergit: ſed tamen loca ſancta circuit, & Dominum deprecatur. Quid plura? circa horam tertiam in foro conveniunt, concurrit populus ad ſpectaculum, accenditur ignis, æneus ſuperponitur, fervet valdè, annulus in unda fervente proiicitur. Invitat primùm Diaconus hæreticum, ut ipſe eum à calore auferat: ſed ſtatim recuſavit, dicens: Qui hanc ſententiam protuliſti debes auferre. Diaconus verò licèt trepidus, tamen denudat brachium: cumque ipſum vidiſſet unguentis hæreticus presbyter delibutum, exclamavit dicens: Magicis artibus te elitandum putaſti, ut hæc unguenta diffunderes: nec valebunt iſta, quæ agis. His itaque litigantibus, superve- F
nit Diaconus ab urbe Ravenna, Hyacinthus nomine, ſciſcitanſque, quæ eſſet hæc altercatio, ut veritatem cognovit, nec moratus, extracto à veſtimentis brachio, in æneum dexteram mergit. Annulus autem, qui ejectus fuerat, erat valdè levis, ac parvulus, nec minùs ferebatur ab unda, quàm vento ferri poſſet vel palea. Quem diù, multùmque quæſitum infrà unius horæ ſpatium reperit. Accendebatur intereà vehementer focus ille ſub dolio, quò validius fervens non facilè aſſequi poſſet annulus à manu quærentis: extractuſque tandem, nihil Diaconus ſenſit in carne ſua, ſed potiùs proteſtatur, inimmò quidem frigidum eſſe æneum, in ſummitate verò calorem temporis modici continentem. Quòd cernens hæreticus, valdè confuſus iniicit audax manum in æneo, dicens: Præſtabit mihi hæc fides mea. Injecta manu, protinus uſque ad ipſa oſſium internodia omnis caro liquefacta defluxit, & ſic altercatio finem habuit. *Gregor. Turon. de glor. mart. c. 81. Bar. Tom. 7. ad an. Dom.* 583. 42. 43.

Non tacendum hìc, quod refert *Gregor. Turon. hiſt. Francor. l. 5. c. 43.* de Agilane Ariano homine miſſo Legato à Leuvigildo Hiſpaniarum Rege ad Chilpericum Gallorum Regem, qui
in vita Gregorium Turonenſem Epiſcopum ad diſputandum G
provocavit. Hiſtoria ſic ab eodem Gregorio deſcribitur: Leovigildus Rex Agilanem Legatum ad Chilpericum mittit virum nullius ingenii, aut diſputationis ratione peritum, ſed tantùm voluntate in Catholica lege perverſum. Quem cùm via Turonos detuliſſent, laceſſire nos de fide, & impugnare eccleſiaſtica dogmata cœpit: Iniqua enim (inquit) fuit antiquorum Epiſcoporum lata ſententia, quæ æqualem aſſeruit Filium Patri. Nam qualiter (inquit) poterit eſſe Patri æqualis in poteſtate, qui ait: *Pater major me eſt?* Non eſt ergo æquum, ut ei ſimilis æſtimetur, quo ſe minorem dicit, triſtitia mortis ingemuit, cui poſtremò moriens ſpiritum quaſi nulla præditus poteſtate commendat. Vides Patre eum & ætate, & poteſtate paterna minorem. Ad hæc ego interrogo: Si crederet Jeſum Chriſtum Filium Dei eſſe, ſi eundemque eſſe Dei ſapientiam, ſi lumen, ſi veritatem, ſi vitam, ſi juſtitiam, fateretur: qui ait: Credo hæc omnia eſſe Filium Dei. Et ego: Dic ergo mihi: quando Pater ſine ſapientia? quando ſine lumine? quando ſine vita? quando ſine veritate? quando ſine juſtitia fuerit? ſicut enim Pater ſine iſtis eſſe non potuit, ita, & ſine
Filio eſſe non potuit, quæ maximè, & Dominici nominis H
myſterio coaptantur. Sed nec Pater eſſet ubique, ſi Filium non haberet. Quòd autem eum dixiſſe ais: Pater major me eſt, ſcias eum hoc ex aſſumptæ carnis humilitate dixiſſe, ut cognoſcas non poteſtate, ſed humilitate te fuiſſe redemptum. Nam tu, qui dicis: *Pater major me eſt*, oportet meminiſſe, quod alibi ait: *Ego, & Pater unum ſumus*: nam & mortis timor, & commendatio ſpiritus ad infirmitatem corporis eſt referenda, ut ſicut verus Deus, ita & verus homo credatur. Et ille: Cujus quis implet voluntatem, eo & minor eſt: ſemper Filius minor eſt Patre, quia ille fecit voluntatem Patris, nec Pater illius voluntatem facere comprobatur. Ad hæc ego: Intellige, quia Pater in Filio, & Filius in Patre in una ſemper Deitate ſubſiſtit: nam ut cognoſcas patrem Filii facere voluntatem, ſi in te fides evangelica manet; audi quid ipſe Jeſus Deus noſter, cum ad reſuſcitatum venit Lazarum ait: *Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me, & ego ſciebam, quia ſemper me audis: ſed propter turbam, quæ circumſtat, dixi, ut credant, quia tu me miſiſti.* Sed & cùm ad paſſionem venit, ait: *Pater,*

Pater, clarifica me claritate, quam habui apud temetipſum
A *priuſquam mundus fieret.* Cui Pater de cœlo reſpondit: *Et clarificavi, & iterùm clarificabo.* Æqualis eſt ergo Filius in Deitate, non minor, ſed neque aliquid minus habens: nam ſi Deum confiteris, neceſſe eſt integrum fatearis, & nihil egentem: ſi verò integrum eſſe negas, Deum eſſe non credis, & ille; Ex aſſumpto homine cœpit Filius Dei vocitari: nam erat quando non erat. Et ego: Audi David dicentem: *Ex utero ante luciferum genuit te.* Et Joannes Evangeliſta, ait: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: & hoc Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis; per quem facta ſunt omnia.* Nam vos cæcati veneno perſuaſionis nihil dignum de Deo ſentitis. Et ille: Nunquid & ſanctum Spiritum Deum dicitis, aut æqualem Patri, Filioque decernitis; Cui ego: Una in tribus eſt voluntas, poteſtas, & operatio: Unus Deus in Trinitate, & unus in Unitate: tres perſonæ, ſed unum regnum, una majeſtas, una potentia, omnipotentiaque. Et ille: Spiritus ſanctus, inquit, quem æqualem Patri profertis, ac Filio, utrinque minor accipitur: quia, & à Filio promiſſus, & à Patre
B legitur miſſus: nemo enim promittit, niſi quod ſuæ dominationi ſubſiſtit, & nemo mittit niſi inferiorem ſe, ſicut ipſe, ait in Evangelio: *Niſi abiero, Paracletus ille non veniet: ſi autem abiero, mittam illum ad vos.* Ad hæc ego reſpondi: Benè Filius ante paſſionem ait: quia niſi ille ad Patrem victor remeaverit, ac proprio ſanguine redempto mundo dignum Deo ex homine præparet habitaculum, non poteſt ſanctus Spiritus idem Deus in pectore fanatico, & originalis criminis labe infecto deſcendere. Spiritus enim ſanctus (ait Salomon) effugiet fictum. Tu autem ſi ſpem aliquam reſurrectionis habes, noli loqui adversùs Spiritum ſanctum: quia juxta ſententiam Domini, Spiritum ſanctum blaſphemanti non remittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Et ille: Deus eſt, qui mittit; non eſt Deus, qui mittitur. Ad hæc interrogo, ſi crederet doctrinam Petri, & Pauli Apoſtolorum; reſpondente autem eo, Credo: adjeci, Cùm argueret Petrus Apoſtolus Ananiam pro fraude fundi: vide, quid dicat: Quid tibi viſum eſt mentiri Spiritui ſancto; non es mentitus hominibus, ſed Deo. Et Paulus cùm gratiarum ſpiritualium diſtingueret gradus: Hæc omnia, inquit, operatur unus, atque idem Spiritus, dividens unicuique prout vult: qui enim,
C quod voluerit, facit, in nullius redigitur poteſtatem: nam, & vos (ut ſuperiùs dixi) nihil rectè de Trinitate ſancta ſentitis: & quàm iniqua ſit hujus ſectæ perverſitas, ipſiùs authoris veſtri, id eſt, Arii expreſſit interitus. Ad hæc ille reſpondit: Legem, quam non colis, blaſphemare noli: Nos verò, quæ creditis, etſi non credimus, non tamen blaſphemamus: quia non deputatur crimini, ſi & illa, & illa colantur: ſic enim vulgato ſermone dicimus: non eſſe noxium, ſi inter Gentilium aras, & Dei Eccleſiam, quis tranſiens utraque veneretur. Cujus ego ſtultitiam cernens, ajo: Ut video, & Gentilium, & hæreticorum aſſertorem te eſſe manifeſtas, cùm & eccleſiaſtica dogmata maculas, & paganorum ſpurcitias prædicas adorari. Satiùs, inquio, faceres, ſi ea te armaret fides, quam Abraham ad ilicem, Iſaac in ariete, Jacob in lapide, Moyſes vidit in ſene: quam Aaron portavit in logio, David exultavit in tympano, Salomon prædicavit in intellectu: quam omnes Patriarchæ, Prophetæ, ſive lex ipſa, vel oraculis cecinit, vel ſacrificiis figuravit: quam & nunc præſens ſuffragator Martinus noſter, vel poſſedit in pectore, vel oſtendit in opere; ut & tu converſus crederes inſeparabilem
D Trinitatem, & accepta à nobis benedictione, purgatoque à malæ credulitatis veneno pectore, delerentur iniquitates tuæ. At ille furore commotus, & neſcio, quid quaſi inſanus frendens, ait: Ante anima ab hujus corporis vinculis emicet, quàm ab ullo religionis veſtræ ſacerdote benedictionem accipiam: Et ego, Nec noſtram Dominus religionem, ſive fidem ita tepeſcere faciat, ut diſtribuamus ſanctum ejus canibus, ac pretioſarum margaritarum ſacra porcis ſqualentibus exponamus. Ad hæc ille, relicta altercatione, ſurrexit, & abiit. Sed poſt hæc cùm in Hiſpanis reverſus fuiſſet, infirmitate debilitatus ad noſtram religionem, neceſſitate cogente, converſus eſt.

Tempore, quo diuturna obſidione vallabatur à Chunis Civitas Vaſatenſis, omni nocte ſacerdos, qui præerat, circuibat pſallendo, & orabat, nec ab ullo auxilium, niſi à Domini miſericordia requirebat. Hortabatur omnes orare, & non deficere, aſſerens humiles preces cœlorum januas penetrare. Hoſtis verò in circuitu depopulabatur villas, domos tradebat incendio, agros vineaſque pecoribus intromiſſis vaſtabat: ſed
ſacerdos bono operi inſiſtenti celeriter virtus divina adfuit. E
Nam noctè viſum eſt ipſi barbarorum Regi, quaſi pſallentes homines in veſtimentis albis, accenſis cereis circuire muros urbis, & indignans ait; Quæ eſt hæc perverſitas, & ſecuritas vana, ut obſeſſi quaſi deſpectis nobis, canticis neſcio quibus, ac laudibus perſtrepant? verè quia digni ſunt perditione. Et ſtatim miſit ad urbem nuncios interrogantes, quid ſibi iſta velint. At illi negant ſcire ſe, quæ dicuntur, neque de iis aliqua perſenſiſſe. Alia verò noctè vidit quaſi globum magnum ignis ſuper urbem deſcendere, ait: Si contra nos hi obſeſſi contumaciter agunt, nec nos metuunt, vel cœleſtis eos ira conſumet. Cùmque non videret ullum ab urbe incendium conſurgere, miſit iterùm interrogare, quæ eſſent, quæ viderat. Similiter negaverunt nihil ſe omninò vidiſſe. Tunc Rex Gauſericus ait: Si hæc iſti neſciunt, manifeſtum eſt, quod Deus eorum adjuvat eos: & ſtatim diſceſſit à loco illo. Sacerdos autem convocatis civibus vigilias celebrat, & Miſſarum agit feſta pro liberatione populi ſui. Dum autem hæc ageret, aſpiciens ſurſum vidit ſuper altare quaſi de camera templi cadere tres guttas,
æquales magnitudine, claritate, candore cryſtallum vincen- F
tes. Cùmque omnes cum admiratione, & ſtupore vehementi intenderent, eaſque nullus auderet attingere, Petrus quidam Presbyter, qui, ut res ipſa adſerit, magni meriti erat, exhibita argentea patena guttas colligere nititur: quæ dum per altare vago curſu rotantur, defluentes in ipſam patenam ſtatim in ſe conjunctæ, quaſi unam gemmam pulcherrimam effecerunt: patuitque evidenti ratione contra iniquam, & Deo odibilem Arianam hæreſim, quæ eo tempore pullulabat, hæc acta: agnitumque eſt, ſanctam Trinitatem in una omnipotentiæ æqualitate connexam nullius garrulationibus poſſe disjungi. Tunc gaviſus populus, & intelligens munus ſibi indultum fuiſſe divinitùs, conferens aurum, gemmaſque precioſas, crucem fecit, in qua hanc gemmam ſtatuit: ſed protinus omnes reliquæ gemmæ, hac accedente, ceciderunt. Tunc Pontifex intelligens non eſſe conſortium cœleſtibus cum terrenis, fabricata cruce ex auro puriſſimo, eam gemmam media intercapedine locat, & populo adorandam præbet. Nec mora, fugato, ut diximus, hoſte civitas liberata eſt. Jam ex hoc multi infirmi hauſto vino, vel aqua, in qua gemma abluitur, protinus ſanitati redduntur. Denique, cùm adorata fuerit, ſi à peccato eſt homo
immunis, & ipſa apparet clara: cæterùm, ſi, ut plerumque ad- G
ſolet humanæ fragilitati aliquid detulerit criminis, tota ei videtur obſcura: miramque præbet diſcretionem inter innocentem, & noxium, cùm uni atra, alteri monſtretur ſplendida. *Ex Gregor. Turon. lib. 1. de miracul. cap. 13. Sigebert. in Chron. ad ann. Domini* 353.

Cùm Gregorius Thaumaturgus per totam noctem aliquando de ratione, atque ſermone fidei diſpiceret, & ſpecularetur, & varias animo cogitationes agitaret: erant nimirum etiam tunc nonnulli, qui piam, & ſinceram religionis doctrinam adulterarent, ac per probabiles argumentationes ſæpenumerò etiam doctis, & prudentibus veritatem facerent ambiguam, pro qua tunc ei pervigilem curis, atque ſolitudine noctem agenti, quidam in figura humana, facie, ac forma ſenili, evidenter apparet, ornatu, atque compoſitione indumenti auguſtum quendam, ſacrum, atque divinum referens decorem, magnam gratia vultus, atque diſpoſitione figuræ præ ſe ferens virtutem. Hic verò viſu perterritus, ſurgere è lecto, & quis eſſet, cujuſve rei gratia veniſſet, ſciſcitari. Cùm autem ille perturbationem mentis ejus ſubmiſſâ voce ſedaſſet, ac dixiſſet, ſe juſſu
divino apparuiſſe ei propter eas rationes, quæ apud ipſum H
controverſæ, & ambiguæ eſſent, ut piè fidei veritas revelaretur: & bono animo eſſet; audito ſermone, & quodam cum gaudio, atque conſternatio illum contueri cœpit. Deinde cùm ille directò manum protendiſſet, & quaſi oſtenderet ei per digitorum directam protenſionem id, quod ex tranſverſo apparebat: hìc & una eum directa manus protenſione circum agere ſuum obtutum, & videre aliam imaginem adverſam ei, quæ priùs apparuerat, in figura muliebri, excellentiorem quidem, & auguſtiorem, quàm pro humana conditione: rurſum autem perterritus, & facie averſa vultum demittere, ac perplexus, & dubitabundus hæſitare de ſpectaculo, cùm oculis apparitionem ferre non poſſet: etenim miraculum viſionis nimirum in hoc potiſſimùm erat, quod cùm nox eſſet obſcura, lumen unà cum iis, quæ apparuerant, ei effulſerat, quaſi aliqua lucida tæda accenſa. Cùm igitur oculis ferrè apparitionem non poſſet eorum, qui ſibi apparuerant, inter ſeſe rationem ejus rei, de qua ambigebatur, exponentium ratiocinationem audivit: per quam non

A non ſolùm accepit veram cognitionem fidei, verùm etiam nominatim eos, qui apparuerant, cognovit, utroque eorum propria appellatione alterum alloquente. Audiviſſe enim dicitur ex ea, quæ in muliebri habitu viſa erat, cùm hortaretur Evangeliſtam Joannem, ut adoleſcenti myſterium pietatis veræ aperiret, ac declararet: atque illum dixiſſe, ſe paratum eſſe etiam in hoc matri Domini gratificari, quoniam hoc ei cordi eſſet: atque ita expoſito ſermone, qui & rei quæſitæ conveniret, & admodùm bene definitus, & circumſcriptus eſſet, rurſum ex oculis diſceſſiſſe. Atque hunc extemplò divinam illam inſtitutionem, & diſciplinam litteris mandaſſe, & ſecundùm illam poſteà in Eccleſia ſermonem prædicaſſe; ac poſteris, tanquam patrimonium quoddam, & legatum, divinitùs datam illam doctrinam reliquiſſe; per quam uſque in præſentem diem inſtituitur illius civitatis plebs, quæ ab omni hæretica malitia intacta permanſit. Porrò myſticæ illius diſciplinæ verba hæc ſunt: Unus eſt Deus Pater verbi viventis, ſapientia ſubſiſtentis, & potentiæ, & figuræ æternæ, perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti: unus Dominus, ſolus ex ſolo, Deus de Deo, figura, & imago Deitatis, verbum efficax, ſapien- B tia conſtitutionis rerum univerſarum comprehenſiva, & potentia totius creaturæ effectrix, Filius verus veri Patris, viſum effugiens, viſum effugientis; & corruptioni non obnoxius, non obnoxii corruptioni, & morti non obnoxius, non obnoxii morti; & æternus æterni. Unus Spiritus Sanctus ex Deo ortum, & exiſtentiam habens, quippè per Filium apparuit, videlicet hominibus: imago Filii perfecti perfecta. Vita, viventium cauſa, fons ſanctus, ſanctitas ſanctificationis ſuppeditatrix: per quem manifeſtatur Deus Pater, qui eſt ſuper omnia, & in omnibus, & Deus Filius, qui per omnia permanet. Trinitas perfecta, quæ gloria, atque æternitate, & regno non dividitur, neque abalienatur. *Gregor. Nyſſenus orat. de vita Greg. Thaumat. Cæſar. Baron. Tom. 2. Annal. Eccleſ. ad an. Chriſti 233. 15. 16. 17. 18. & habetur in S. Synodo Oec.*

Quodam die, dum indicta publica ſupplicatione Minoreſſæ religioſum agmen inſtruitur; & Ignatius interim beatiſſimæ Virgini pſallit inſiſtens gradibus templi Dominicani; ſubitò in Deum ita rapta mens ejus eſt, quaſi per appoſita quædam, & maximè illuſtria Symbola Trinitatis ipſius numen auguſtiſſimum cerneret diſtinctum perſonis, unum eſſentia. C Qua viſione tanto gaudio eſt delibutus, ut neque in ipſo mox agmine lacrymis, & ſingultu crebro temperare valuerit, neque verò totum eum diem alia ulla de re, niſi de ſanctiſſimo illo fidei Chriſtianæ myſterio diſputare, idque ſimilium, & exemplorum tanta varietate, & copia, ut cuncti obſtupeſcerent: quin etiam per eos ipſos dies non dubitavit homo, litterarum propèmodum ignarus librum de Trinitate conſcribere, quoquo potuit ſtylo: uſque adeò cœleſtes typi, quos diximus, in ejus memoria, atque intelligentia divinas illas rerum altiſſimarum notiones impreſſerant. Ac licèt anteà quoque, & monadem in triade, & in monade triadem ſanctiſſimè coleret, ſuaſque & naturæ divinæ communiter, & ſeparatim ſingulis perſonis preces, hymnoſque perſolveret; ab hoc tamen raptu longè ſtudioſior, & ardentior evaſit in eodem officio pietatis, eamque laudabilem conſuetudinem ad extremum uſque vitæ retinuit, ſic ut præcipuam caperet voluptatem, & proprio quodam ſenſu rerum cœleſtium afficeretur, quotieſcumque ſanctiſſimæ Trinitati ſacra perageret. *Ex l. 1. vitæ B. P. Ignatii Loyolæ per Petr. Maff. cap. 7.*

Morem Antiphonorum, hoc eſt alternis per reſponſionem D carminium, ſeu pſalmorum concinendorum Eccleſia antiquitus jam inde ab Apoſtolis accepit: divinum namque Ignatium, qui tertius in Eccleſia Antiochena à Petro Apoſtolo hierarcha fuit, & cùm Apoſtolis omnibus plurimo tempore vixit, cùm per ecſtaſim animi conſternatus eſſet, viſionem novam vidiſſe ferunt: ſanctos ſcilicet Angelos, alternis, & ſibi invicem reſpondentibus carminibus ſanctam Trinitatem hymnis, & laudibus vehentes. Et ipſe primus hanc concinendi formam Antiochenorum Eccleſiæ dedit, unde quaſi à fonte in aliàs Eccleſias Dei omnes ejuſmodi conſuetudo eſt propagata. *Ex Niceph. Calliſto, l. 13. hiſt. Eccl. cap. 8.*

Dicebat nobis Abbas Euſebius Presbyter monaſterii Raythu, cùm ad illum veniſſemus, quòd dæmon in habitu monachi profectus fuit ad cellam ſenis, & cùm pulſaſſet januam, aperuit ſenex, & dixit illi, Ora. Dæmon autem ait: Et nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen. Senex autem rurſus dixit, Ora: & dæmon ſimiliter ait: Nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum Amen. Tunc ſenex, & dic, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto etiam nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.* Hoc autem cùm di- E xiſſet ſenex, dæmon quaſi vim paſſus ab igne evanuit. *Ex prat. ſpirit. Sophronii c. 119.*

In Præmonſtratenſi Eccleſia cuidam fratri altius de ineffabili Trinitate (quæ Deus eſt) cogitanti in matutinis dæmon aſtitit, & ei tria geſtans capita apparuit, Trinitatem ſe eſſe conteſtans, & ob fidei ſuæ meritum Trinitatis viſione eum dignum eſſe affirmans: ſed frater inimici dolum agnoſcens, conviciando eum recedere à ſe compulit: non quòd malum ſit de Trinitate cogitare, dummodò cum humili cogitatione; ſed ut fugiamus illam Sapientibus comminationem: *Qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria*, qui ſcilicèt proprio ingenio nititur. Hinc Bernard. Non verearis illud, quod ſcriptura minatur ſcrutatoribus majeſtatis; tantùm offer purum, & ſimplicem oculum, non tuam ſed Dei gloriam quærendo. *Continuator Sigeberti ſub an. Dom. 1121. Vinc. l. 29. hiſt. c. 29.*

Tempore Victoris II. Papæ an. Chriſti 1055. cùm ſimoniaca hæreſis totam Italiam, & Burgundiam occupaſſet, idem Pontifex miſit à latere ſuo * Archidiaconum Hildebrandum ad ultramontanas partes cum quibuſdam Epiſcopis. Cùm au- F tem ad Lugdunenſem Provinciam perveniſſet, in ea Synodum celebravit, in qua per ipſum Archidiaconum Deus maximum dignatus eſt operari miraculum. Reſidentibus enim in ea Synodo Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliarum Eccleſiarum Prælatis, Archiepiſcopus vir quidem litteratus, & eloquens accuſatus eſt de crimine ſimoniæ. Qui ſequenti nocte omnes ſuos accuſatores pecunia corrupit, & ſibi amicos fecit. Manè autem facto rediens ad Synodum audacter dixit: Ubi ſunt, qui me accuſant? exeat in publicum quicumque me voluerit damnare. Tunc obmuteſcentibus cunctis, prædictus Archidiaconus, tanquam vir diſcretus, & ſapiens, convertens ſe ad illum, dixit: Credisne, ò Archiepiſcope, Spiritum Sanctum cum Patre, & Filio unum eſſe ſubſtantiam Deitatis? Quo reſpondente, Credo, addit Archidiaconus: Dic, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*. Tunc ille: *Gloria Patri, & Filio*, expeditè dicebat, ſed Spiritum ſanctum nullatenùs proferre poterat. Quem cum frequenter inchoaret, & nihil proficeret, videns ſe per divinum judicium omninò confuſum, procidit ad pedes Archidiaconi. & confeſſus eſt proprio ore ſe ſimoniacum eſſe. Poſtquam verò à ſacerdotali, & epiſcopali officio eſt depoſitus, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, libera, & clara G voce decantavit. Quòd factum in tantùm ſimoniacos perterruit, quod præter alios Prælatos Eccleſiarum viginti ſeptem, Epiſcopi quadragintaquinque ſimoniacos ſe eſſe confeſſi ſunt, & ſuis honoribus abſque ulla alia accuſatione renuntiaverunt. Celebrata Synodo, & aliis ritè ordinatis, & compoſitis, Legati ad Urbem redierunt. *Bar. Tom. 11. Annal. an. 1055. 16. 17. ex Nicolao Aragonio Cardinali. Carol. Sigon. lib. 8. de Regno Ital. an. 1055.*

D. Augustinus Hipponenſis Epiſcopus, dum ſanctæ Trinitatis myſterium ſolus in cubiculo ſedens contemplaretur, ita à ſeipſo abſceſſerat, ut à muliere, quæ illum conſulere cupiebat, ſæpius interpellatus nihil reſponderet, immò ne reſpiceret quidem: mulier denique, quia ſe contemptam putavit, abiit triſtis. Poſtero autem die, cùm eum in Eccleſia audiret, in ſpiritu rapta vidit de Trinitate diſputantem; atque audivit, idcircò ſe illum die heſterno fruſtra quidem adiiſſe, quòd ejuſmodi meditatione occupatus, ipſam neque videre, neque ſentire omninò potuiſſet, ac proindè ne redire dubitaret. Rediit, & quod petierat, conſilium, ſine cunctatione accepit. *Ex Sab. l. 2. c. 6. & Marc. Marul. Spalat. l. 2. c. 4.* H

Eo tempore, quo Beatus Auguſtinus librum de Trinitate compoſuit, illi tale miraculum Deus oſtendit. Hipponenſis civitas Africæ nobilis, in qua B. Auguſtinus epiſcopatum adminiſtravit, ſuper littus maris pulcherrimè ſita erat. Beatus autem Auguſtinus in conſuetudine habebat, ut poſt divinum ſtudium, & laborem veſpere ſuper littus maris, ſequentibus à longè Epiſcopis, & clericis, qui pro conſilio, & negotio univerſalis Eccleſiæ eum frequentabant, ſolus antecedens deambularet, ne ſcilicet ejus contemplationem, aut ſtudium colloquentium fabulatio impediret. Cùm ergo ſic ſolus incederet, puerulum miræ pulchritudinis ibi ſedentem invenit, qui facta in terra foſſa parvula (ſicut pueri in plateis ludentes ſolent) cochleari argenteo aquam de mari hauriebat, & in illam parvam foſſam effundebat. Quem ut beatus Auguſtinus ita serioſè ſedentem vidit, pedem mox preſſit, & ſtetit, procedens inde puerum ſalutat, & inquirit, quid agat: & puer cum magno ſerio reſpondit: Volo, inquit, totum iſtud exhaurire mare, & iſti foſſæ, ſi poſſum, infundere. Quo reſponſo quaſi puerili A vir Sanctus in riſum decentiſſimum reſpondit: Et quomodo inquit, ò bone puer, hoc poteris? Ingens eſt mare, & parvum cochlear, quo hauris, foſſa parvula in quam fundis. Et mox puer: Poſſibilius, inquit, mihi eſt facere, quod intendo, quàm te implere, quod cogitas. Ad hoc Beatus Auguſtinus mirabiliter ſtupefactus, quid hoc eſſet, interrogat: Et puer, Cogitatu, ait, volvis, & æſtimas volumine brevi concludere, quid ſit illud individuæ Trinitatis inexplicabile Sacramentum. Et hoc quidem antequam poſſis, iſti foſſæ parvulæ potius maris undas infundam. Hæc dicens puer repentè diſparuit: B. verò Auguſtinus Chriſtum in facto glorificans, quàm verum puer dixerat, mox advertit. *Ex Thomæ Cantiprat. lib. 2. Apum. c. 48. p. 3.*

Evagrius cum longa orationis ſerie audiviſſet de Deo, atque de Trinitate diſputantes, temerè, & inconſideratè de Deo diſputandum eſſe prohibuit: definire verò divinitatem modis omnibus interdicit: ait enim rerum compoſitarum eſſe defi- B nitiones. Is itaque ſic ait: Omnibus propoſitio aut genus habet, quòd prædicatur, aut ſpeciem, aut differentiam, aut proprium, aut accidens, aut ex his compoſitam orationem. Sed nihil in ſancta Trinitate horum, quæ dicta ſunt, poterit comprehendi; igitur quod ineffabile eſt, ratione ſilentii adoretur. *Tripart. l. 6. hiſt. Eccleſ. c. 21.*

Andronicus Comnenus Imp. in religione optimè inſtitutus, de divinis dogmatibus diſputandi curioſitatem adeò improbabat, atque de Deo novi aliquid vel dicere, vel ſcribere averſabatur, ut Euthymium Epiſcopum novæ Patræ eruditiſſimum, de illo Chriſti dicto: *Pater major me eſt*, in ſuo tabernaculo contra quendam alium contentioſiùs diſſerentem objurgarit, & in Rhyndacum amnem ſe abjecturum minatus ſit, ni deſiſteret. *Ex Niceta Chron. lib. 2. Annal.*

Cùm quidam Frater Simon de veritate articuli Trinitatis quaſi dubitando inania cogitaret, & ex tentationis hujus opportunitate eſſet multum afflictus, cùm illa triſtitia obdormivit, & ecce Chriſtus benedictus eidem apparuit, dicens: Simon, dormis? Ille verò ignorans eſſe Chriſtum, ſe evigilans ſibi impatienter reſpondit. Et cùm iterato ſibi dice- C ret Chriſtus: Simon, dormis? ille pleniùs evigilans vidit eum. Et ipſe qui apparebat non erat purus homo, nec pura creatura. Quem Chriſtum benedictum agnoſcens ſtupefactus ante ipſum cum magna reverentia ſe proſtravit. Non cogites de his, inquit, nec de Trinitate in aliquo dubites, ſed ſicut audiſti, & credit Catholica Eccleſia, firmiter ita credas, & hoc dicto Chriſtus diſparuit, & Frater ille fuit ab illa tentatione liberatus. *D. Anton. 3. part. hiſt. Tit. 24. cap. 9. §. 6.*

Cùm Beata Cæcilia Valerianum ſponſum ad Chriſtum adduxiſſet, Tiburtium quoque Valeriani fratrem ſic ad unius Dei notitiam perduxit. Ut intelligas, inquit, ſimulacra eſſe formas teſtaceas, & gypſeas, & ligneas, & æneas, & cujuſvis metalli: & non dicas eos eſſe Deos, in quibus vivunt araneæ, & volucres ſtercora egerunt: in quorum capitibus ſolent nidificare ciconiæ, quos faciunt condemnati, quando damnati propter maleficia mittuntur in metallum, cùm ergo initium accipiant ex condemnatis, quomodo exiſtimari poſſunt, aut credi Dii? inter mortuos enim, & ſimulacra nulla eſt differentia. Quomodo enim mortuus habet quidem omnia membra, ſpiritum autem, & vocem non poteſt habere, nec ſenſum, ita etiam hæc una ſimulacra, deorum quidem D habent nomina, cognoſcuntur autem eſſe infelicia, malaque, & terreſtria. Quæ quidem oſtenduntur eſſe homines mortui, quoniam ſunt eis etiam membra, ſicut hominum. Quamdiu enim vixerunt, oculis aſpexerunt, & auribus audiverunt, & pedibus ambularunt, & ore locuti ſunt, & manibus palpaverunt, & naribus olfecerunt: cœperunt tamen à morte, & in mortem æternam permanent, quòd oſtendantur nunquam vixiſſe, vel potuiſſe vivere. Tunc dixit Tiburtius cum omni compunctione: Qui ſic non credit, eſt brutum, & non venit in judicium. Quamobrem ergo quoque dico cum omni veritate, non eſſe alium Deum, niſi Deum Chriſtianorum, & me deinceps eum colere, & adorare. Hæc cum diceret Tiburtius, Sancta Cæcilia deoſculata eſt ejus pectus, & dixit: Revera hodie confiteor te eſſe planè meum fratrem. Quomodo enim Dei amor tuum fratrem fecit eſſe meum conjugem: ita etiam ſimulacrorum contemptio fecit te meum eſſe fratrem. Tunc enim ſic inſtituit: Cœli, & terræ, & maris, & omnium volucrum, quæ volant in aere, quadrupedum, & reptilium creator, ex ſe, priuſquam omnia faceret, genuit Filium, & produxit ex ſua potentia Spiritum Sanctum: Filium, ut faceret omnia; Spiritum Sanctum, ut E vivificaret univerſa. Omnia autem, quæ facta ſunt, conſtruxit Filius ex Patre genitus: & omnia quæ fuerant conſtructa, ex Patre procedens Spiritus Sanctus animavit. Dicit ei Tiburtius: Hucuſque dictum eſt, credi oportere unum Deum eſſe in cœlis. Quomodo autem nunc tres teſtaris eſſe Deos? Reſpondit S. Cæcilia, & dixit: Unus eſt Deus in ſua virtute, quam ſic in ſancta Trinitate partimur, quomodo in uno homine ineſſe dicimus artem, memoriam, & intelligentiam: quoniam arte invenimus id, quòd non didicimus: memoria tenemus, quod docemur, intelligentia comprehendimus, ſi quid nos unquam contemplari contigerit, aut audire. Quidnam ergo faciemus? num hæc tria in homine una poſſidet intelligentia? ſi ergo homo in una intelligentia poſſidet nomen trium ſignificatorum; quomodo non Deus omnipotens in una, & eadem divinitate vim obtinet Trinitatis? Tunc Tiburtius cùm in terram cecidiſſet, cœpit clamare & dicere; Revera, ò chariſſima, non mihi videtur lingua humana dare reſponſum: ſed conii- F cio Dei Angelum per os tuum eſſe locutum: & magnas agit gratias, quòd citò unum eſſe Deum in tribus perſonis ei apertè probaverit. *In vita S. Cæciliæ cap. 8. & 9. apud Sur. tom. 6. 22. Novembr.*

Childebertus Francorum Rex pervenit aliquando cum exercitu ad expugnandam Cæſarauguſtanam civitatem, quòd ibi Arianam hæreſim vigere putaſſet. Percontatus autem ex ruſtico, quem in agro deprehendit, quàm religionem urbis habitatores ſequerentur, eſſentne Chriſtiani Catholici, an Ariani: ille, ut erat agricola, pro ſuo captu, ut poterat, reſpondit: Sanctam inibi in Deitate Trinitatem, & Unitatem in Trinitate credi. Gaviſus Rex Pontificem urbis ad ſe vocat, eumque alloquens ait: Quia Catholicam plebem audio urbem inhabitare, arma, quæ contra Arianos ſumpſi, inde converto. Sed quem interim hæc urbs inter cœlicolas patronum veneratur! Ille refert, Divum Vincentium martyrem eſſe principem ejus loci defenſorem, quòd ejus reliquiæ ibi ſervarentur. Cui Rex: Ne tantum laboris ex itinere fruſtra ſuſceperim, rogo mihi aliquid ex ejus reliquiis impartiri. Igitur Pontifex & Clerus, communi conſenſu ſtolam, & tunicam S. Martyris Regi donaverunt. Ille ſuſcepta dona ſecum G duxit Pariſios, ibique S. Martyri eccleſiam conſtruxit, & dedicavit, inſtitutis ibidem monachis, quibus eaſdem exuviias diligenter conſervandas commendavit. *Joan. Magn. lib. 16. cap. 4.*

Tempore cùm incredulitas, ac iniqua Arianorum ſecta in locis Hiſpaniæ per malorum peſſimas adſertiones diſſeminata fuiſſet, quidam Clericus apprehenſus Chriſtianum ſe eſſe confeſſus eſt, adſerens æqualem Patri Filium, & Spiritum Sanctum eſſe. Cui Rex, qui præerat, oblatis muneribus, tanquam majorem ſe ſuppliciter deprecabatur, ut ſcilicet comprehenſa confeſſione de ſanctæ Trinitatis æqualitate, minorem Patre Filium cum ſancto Spiritu fateretur: quod ſi faceret, & facultatibus ditaretur, & magnus haberetur in populis. Quod illo conſilium tanquam morſum viperæ fugiente, ac iniqui virus mortiferum reſpuente anguis, adjecit Rex: Video, inquit, duram intentionem mentis inſanæ, ſed novi temperamentum tuum, ut quem munera non deflectunt, facile tormenta ſubiiciant, At ille; Utinam dignus habeat, ait, in hac jugulari confeſſione, nam munera tuá tanquam ſtercus exhorreo. Tunc iratus Rex juſſit eum ad trochleas extendi, & fortiter cædi: interrogatus, Quid credis? reſpondit, jam dixi tibi: *Credo Deum Patrem omnipotentem, & Filium ejus* H *Jeſum Chriſtum*. Poſt hæc cæſus eſt valde, ſed ſemper durabat in confeſſione, nec unquam eum à fideli linea potuit hæc tortura deflectere: nam in primordio cùm cæderetur, tres tantum verberum ictus ſenſit: qui, ut ipſe poſteà referebat, ipſam animam penetrarunt. Reliqua verò flagella tanquam ſi aliquod velamentum dorſo ſuperpoſitum fuiſſet: ita non ſentiens, magis fidem quàm cœperat inter tormenta poſitus prædicabat. Itaque cùm Regi ſatisfactum de ejus cæde fuiſſet, dimiſſus eſt, obteſtante eo ne in terminis Hiſpaniæ unquam inveniretur. At ille lætus diſcedens in Galliam eſt egreſſus. Et ut fides dictis adhibeatur, ego hominem vidi, qui hæc ab ipſius clerici ore audita narravit. *Ex l. 1. miracul. Gregor. Turon. de gloria martyr. c. 82. Baron. to. 7. Annal. ad ann. Chriſti 583.*

Cum Gundebaldus cognoviſſet aſſertiones hæreticorum nihil eſſe, à Sancto Avito Epiſcopo Viennenſi, Chriſtum Filium Dei, & Spiritum Sanctum æqualem Patri confeſſus, clam ut chriſmaretur expetiit, cui ait Sacerdos: Si verè credis, quòd nos